

OXONIAE
E Theatro Shelleniano A° 1673.



ARTIS RATIONIS

Maxima ex parte ad mentem NOMINALIUM,

LIBRI TRES.

OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO.

Anno Dom. CIↃ IↃCLXXIII.

ARTIS RATIONIS

Maxima ex parte



244:00

OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO.

Anno Dom. CIↃ IↃC LXXII.

Diu multumque complures viri eruditi in votis habuerunt, ut disciplinarum Academicarum Encyclopædia quæpiam digna existimatione, digna experientia, digna tot Bibliothecarum adminiculo ab hâc Universitate aliquando adornaretur; nec alumni nostri multitudine librorum, doctrinæ diversitate, vel terminorum, methodi, regularumque discrepantiâ distraherentur & confunderentur. Quinetiam tam Universitatis honori, quam studiosorum sumptibus, tempori, profectui: imo & reipublicæ totius incremento nullâ ratione meliùs consultum iri existimarunt; quam si Juvenes disciplinâ publicâ, & Academiæ totius Authoritate instituti, nec singulorum docentium placitis, nec alienorum (fortè non rectè sentientium) dogmatibus exponerentur & imbuerentur. Sed intra vota privatorum restitit totum hoc negotium, donec vir admodum Reverendus, & de

literariâ, æquè ac de hâc, Universitate optimè meritus, nupera Logicæ institutionis editione, non modò promovendi spem injecit, sed magnam operis partem sublevavit: dum materiam, quæ integro operi sufficeret, ex optimis quibusque Authoribus intra paucas paginas, uberrimè tamen, coacervavit. Nec aliud sibi proposuisse videtur, benè conscius quàm difficile sit tot convivis, & satis delicatis quidem, ferculum unicum apparare. Sunt enim, quos Neotericorum minutalia & Embammata solummodò delectant; habent etiam solidiores Antiquorum patinæ suos cupitores & gulones. Iis, quorum palatis Nominalium placita & explicationes arrident, racemationes istæ proponuntur; quæ si viris doctis sitim accendant, dabitur opera, ut deinceps uberiori haustu proluantur. Nominalium verò disciplina maximè propinatur, non tantùm quia Oxoniæ nata & nutrita, sed quia subtilitate & perspicuitate reliquas omnes longissimè superare

perare videtur. Illi enim, cùm, quæ rerum ſunt, rebus ipſis; quæ rationis, rationi; quæ ſermonis, ſermoni (ſuum ſcilicèt cuique) tribuunt; veritatis indagini, Intellectus exercitio, & judiciorum compendio ſupra reliquos conſulunt. Sed & illud monendum, non omnia eorum ſcrinia hîc reſerata; quin ea ferè intacta prætериri, quæ iis cum reliquis Logicis communia ſunt; ea etiam, quæ ad Logicam minùs directè pertinent; & quæ ob nimium acumen, & minorem in communi ratiocinatione uſum primæ inſtitutioni minùs apta judicantur. Quocirca pauca admodum de Prædicamentis, Propoſitionibus modalibus, Syllogiſmis, inſolubilibus &c. delibanda cenſuimus; data ſcilicèt opera, ut ſi liber non ſit bonus, ſit ſaltèm minor malus. Quod ſi cujuſvis diligentia pleniori examini ſufficiat, catalogum eorum, qui in hoc doctrinæ genere & docendi inſtituto eminentiores ſunt habiti, ſubnectere viſum eſt.

Primus itaque erat ipſe *Guil. Occhamus* circa annum 1320. Doctor dictus invincibilis, & Pater Nominalium: qui præter multa Theologica, Philoſophiæ Naturalis libros aliquot, & Logicæ, ſcripſit; quas edidit Marcus de Benevento; in præfatione teſtatus; Quod ſi apud deos nexus Logicæ invenirentur, nullius niſi Occhami viri acutiſſimi ſolutione uti dignarentur.

Gab. Biell. circa An. 1470. inter alia, Occhami libros in Sententias in Epitomen redegit; & ubi Doctor ipſe vel nimis obſcurus, vel brevis exiſtimabatur, de ſuo addidit; judicio & acumine ſingulari.

Gregor. de *Arimino* an. 1350. Occhamo ſubtilitate proximus.

Jo. Major plurima ſcripſit Theologica, Phyſica, Logica, circa an. 1500.

Petrus de *Alliaco* Card. Cameracenſis ſui ſeculi doctiſſimus circa an. 1400.

Jo. Gerſon Cancellarius Pariſienſis, Alliacenſis diſcipulus.

Martinus

Martinus de *Magistris*, *Ludov.* XI. à confessionibus, præter Theologica, scripsit de Consequentiis in vera divinaque Nominalium via.

Jo. Celaya dictus *Doctor Parisiensis*, quoniam Parisiis ad instituendam Universitatem Valentinam in Hispaniam evocatus est.

Hieron. ab *Hangesto*.
Jo. Rawlinus.
Jac. Almain.
Georgius & *Petrus Bruxellenses*.
Albertus de *Saxonia*.
Joan: *Dulaert*.
Guil. de *Rubeone*.
Joh. Buridanus.
Marsilius de *Ingen*.
Adamus Godham.
Rob. Holcot.
Tho. Bricot à concionibus *Franc.* 1. *Regis Gallorum*.
Gaspar Lax.
Gervas. Waim Suevus.
Gaspar Hentisberus.
Ant. Coronell.
Hen. Altenstaig.

Rod. Ariaga Nominalem ſe profitetur, ſed non videtur eorum fundamenta penitiùs intellexiſſe.

Jo. Salabertus eorum defenſionem nuper ſuſcepit; ſcripſit etiam, ſed neſcio an edidit, Logicam in Nominalium via, lingua Gallica.

INDEX.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

De Simplicibus Terminis.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

De Vocibus complexis & Propositionibus.

LIBER TERTIUS.

De Discursu.

Pars prima De Syllogismo.

PARS SECUNDA.

De Materiâ Argumentorum.

INDEX.

PARS TERTIA.

De Fallaciis.

LIBRI

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Logica quid sit, ejus usus, subjectum, partes.

1. ARs dicitur *Habitus Intellectus rectâ cum ratione effectivus. Logica* verò *Ars argumentandi* sive discurrendi: & acquiritur, (ut reliquæ Artes) *præceptis* & *exercitatione*. Ut enim Artifex sit bonus, requiritur peritia & promptitudo; peritos regulæ, promptos usus, facit.

2. In *discursu* duo considerantur. 1°. *Nota*, sive principia, undè deducitur cognitio ignoti. 2°. *modus deducendi* sive inferendi ignotum ex notis. Principia ea non Logica (nisi quæ regulis suis formandis necessaria), sed aliæ scientiæ ministrant; modum verò inferendi docet *Logica*: quæ proinde principaliter non definit, dividit, aut argumentatur, sed regulas tradit definiendi, dividendi, & argumentandi, quas in aliis scientiis sequi oportet. Sicut *Grammatica* non docet quid sit dicendum, sed, cùm hoc cognitum sit, congruè dicere. Ad hoc enim diriguntur omnia hujus artis præcepta, ut intelligatur quænam argumentatio sit vera, quæ falsa; quæ legitima, quæ indebita.

3. *Facultas*

3. *Facultas Ratiocinandi* est *Intellectus*; & ex se quidem arguit & discurrit naturaliter, absque auxilio cujusvis artis (quare dicunt aliqui Logicam esse naturalem, quæ tamen aliter non est naturalis quàm reliquæ omnes artes) sed non accuratè, nec in omnibus materiis, nec confidenter: imo quotidie experimur naturaliter tantum arguentes plurimis erroribus, fallaciis, & verisimilitudinibus implicari & decipi: Et proinde necessarium esse, eum, qui velit perfectè & accuratè discurrere, à *Logica* dirigi. Eamque vel à magistro, vel propriâ experientiâ (longiori quidem & incertiori viâ) doceri. In aliquibus quidem ratiocinationes sunt per se & cuivis evidentes, sed in rebus arduis, subtilibus, v. g. in scientiis & negotiis magni momenti sibimet adversatur, qui non utitur doctorum experientiâ & solertiâ, quam in Regulis Logicis nobis præscripserunt. Sicut numerare, numerisque uti naturale est; sed, eum, qui iis perfectè, securè, & ad omnia uti velit, ex *Arithmeticâ* discere oportet: Factæ autem sunt *Regulæ Logicæ* ab intellectu proprias operationes, quæ rectè quæ secùs fiant, considerante.

4. Omnis *Argumentatio* fit per *Syllogismos*: *Syllogismi* verò constant ex *Propositionibus*, & *Propositiones* ex *vocibus simplicibus* sive Terminis. Quare secundum tres *operationes Intellectus*, 1°. Conceptionem, sive *apprehensionem*; 2°. *enunciationem* eorum quæ concepit, 3°. *discursum*; *Prima* pars *Logicæ* agit de *terminis*, de eorum affectionibus, divisionibus, definitionibus & modis significandi: *Secunda* de *Propositione*: *Tertia* de *Argumentatione*; Et hæc tractatio in duas partes dividitur,

{ In partē generalē, sc. de modo Argumentandi.
{ In partem specialem de potestate Argumentorum,

Eorumq; { Demonstrantium,
{ Probabilium
{ Inartificialium.

Quibus adduntur 1º. de abusivis, falsis sc. & verisimilibus tantum Argumentationibus 2º. de Methodo & dispositione Argumentationis & cognitionis.

CAP. II.

De Voce.

1. Factæ sunt *Regulæ Logicæ* (sicut & aliæ Artis Regulæ omnes) à viris prudentibus; ex frequenti experientiâ & consideratione; præcipue quidem suarum Operationum; Intellectu sc. proprias actiones ruminante & contemplante. Non docentur autem, nec aliis communicantur nisi per *voces*. Quare vocibus, sive Loquelæ, & notionibus per eas animo immissis correspondent nostræ Regulæ & Argumentationes.

2. Est autem *vox signum constans ex literis vel syllabis, per quod devenimus in cognitionem conceptuum*, qui sunt in Animâ. *Grammaticus* quidem sonum respicit & mutuam particularum congruentiam; *Logicus* verò significationem solam, & modum repræsentandi conceptus; & per eos res ipsas.

3. Formantur sc. in Intellectu *conceptus*, intentiones, similitudines, Notiones, sive Ideæ

rerum extra Animam; quarum scilicet *species* per *sensus* exteriores in Intellectum intromittuntur; sive immediate à rebus ipsis per visum, *v. g.* vel alium quemvis sensum, vel ab aliorum informatione per voces, sive loquelâ & sono sive scriptis communicatas. Si *conceptus* quoquo modo productus sit objecto conformis, *verus* est, & cognitio objecti est vera; sin objecto dissimilis est, conceptus *falsus* & *error*. *Voces* fiunt primo ex *conceptibus*, (animâ, quod intra se continet, aliis exprimere & explicare conante); & rursum ex istis *vocibus* nascuntur *conceptus* in animo discentis; sed quales à docente ipso comprehenduntur; *conceptus vero per sensus* sunt in omnibus æque capacibus, & æqualem diligentiam adhibentibus iidem, & naturaliter res ipsas repræsentant; eo modo, quo pictura vel imago archetypum. Sed sunt paucorum, particularium, & in sensus occurrentium; quare etiam *cognitio* per eos est tarda, angusta, & scientiis fere inutilis. Cognitio vero per informationem sive institutionem est pro capacitate discentis plurima, varia, Universalium, omnium, etiam eorum quæ sensibus non occurrunt. Quare stultum esset, aliorum informatione neglectâ, suis tantum sensibus fidem habere, & per eos cognitionem moliri & cumulare: cum conceptus isti primo facti sunt per diligentiam voces formantium, sed confirmati & perfecti ab omnibus utentibus illâ linguâ, vel, aliis quibusvis illi conformibus. Nam licet lingua forte à paucis fuerit inventa, ab omnibus tamen eam loquentibus approbata censetur; & cum omnes linguæ in objectorum explicatione radicaliter consentiant, conceptus per eas ex-

plicati

plicati sunt etiam omnium hominum: sed de his postea. E conceptibus in animâ quoquo modo productis fiunt propositiones *mentales*; quibus correspondent *vocales*, & *scriptæ*. Hæ vero non sunt eædem omnibus, sed variant pro arbitrio imponentium. Et differunt quidem *non tantum* verborum sono & charactere; *nec quia* in unâ linguâ desint nomina eorum, quæ apud istam linguam loquentes non habentur; sed etiam *quia* sæpius accidit ut unius linguæ artifex ejusdem rei alium à reliquis conceptum expresserit: unde voces alicujus linguæ distinctiùs, accuratiùs, vel etiàm largiùs significent; & *quia* denique eodem artificio omnes non sunt usi. Quædam enim linguæ necessariis nominibus tantum utuntur, quædam etiàm multa ad ornatum, & nonnullæ superflua, comprehendunt. In aliquibus enim desunt forte Pronomina, casuum & modorum differentiæ, plurima Syncategorematum, & Participia: de quibus etiamnum disputatur; an aliquid distinctum ab aliarum partium Orationis conceptibus in animo exhibent. voces scilicet imponuntur artificialitèr, & eo modo significant, quo scriptura voces, literæ sonos, repræsentant. *Voces* autem hosce *primos conceptus* significantes dicuntur *Primæ Intentionis*, ut Petrus, album, Homo &c. sunt autem alii *conceptus* facti ab Intellectu conferente sive comparante plura istorum signorum. Intellectus enim se recolligens & respiciens actus suos, quibus cognoscit Socratem, *v. g.* Petrum & Johannem, ex illis alium vel alios format *conceptus*, qui vocantur *secundæ intentiones* vel conceptus; sed & hos iterum intuens & alios aliosque formare potest & solet, qui tamen omnes secundi appellantur;

tur; licet sint ex secundis, & forte ex tertiis, quartis, &c. sed non opus est ut voces multiplicentur. Hisce *intentionibus* extra animam correspondet aliud genus vocum, quod dicitur *secundæ intentionis*, ut particulare, Universale, &c. Quibus etiam annumerantur voces illæ, quæ dicuntur voces Artis, ut Nomen, verbum; Casus, Declinatio, &c.

CAP. III.

De voce Universali & Singulari.

1. CUm, ut diximus, *voces conceptibus* correspondeant, per eas in rerum notitiam devenimus: & Logici est *modum repræsentandi* sive significandi, ut exindè in rerum notitiam deveniatur, describere. Et in primâ quidem *Logices* parte, De *vocibus simplicibus*, & diversis earundem modis significandi agendum est. Et sunt plurimæ quidem vocis *divisiones*, v. g. Omnes voces *vel* inter se convertuntur; *vel* altera earum est magis communis altera minus; *vel* utraque alteram excedit (ut dulce & album); *vel* sibimet mutuò repugnant; suntque vel disparatæ vel oppositæ. Maximè autem celebris, & sine quâ reliquæ non possunt intelligi, est distinctio vocis *simplicis* in *Universalem* & *Singularem*.

2. *Universale* sive *commune est, quod significat plura distributivè*, i. e. quod ità significat plura ut etiam significet eorum unumquodque; ut Homo, Ager, triangulum, figura, pactum, &c. *Singulare* vero *quod significat unum tantùm. Uni-*

versale

versale autem dicitur *Prædicabile*; quia *potest esse prædicatum* in pluribus Propositionibus; *Prædicatum* verò *est quod sequitur Copulam*; sicut *subjectum quod præcedit*; *Copula* verò *est verbum*, subjectum & Prædicatum conjungens, vel cum negatione disjungens.

3. *Universale* autem *fit hoc modo.* Cum impossibile sit ut habeantur nomina peculiaria omnibus rebus in mundo, vel, si haberentur, ut memoria cujusvis ea omnia comprehendat, vel retineat; Intellectus considerans conceptus, quos habet è rebus diversis, invenit eorum aliquos aliis adeo *similes*, v. g. Socratis ad Platonem; hujus Albi ad aliud; hujus trianguli ad aliud; ut *quasi per eundem conceptum* apprehendi possint: & revera ea omnia, quæ eo modo *similia* reperit, sub *unâ intentione* sive *conceptu* apprehendit (similia enim habentur pro eodem in eo quo sunt similia). & sicut conceptibus unorum realiter diversis & eo modo comprehensis nomen *Particularis* imponit, ita eorundem conceptus quatenus similes *Universales* appellat. cum autem *similium* ille conceptus fiat non consideratis dissimilibus sive particularibus, dicunt aliqui *universale* fieri per *præcisionem* vel *abstractionem* intellectûs. Sed modi sunt diversi eandem actionem explicandi. Sed & *has similitudines* intellectus inter se conferens *alias insuper similitudines* conspicatur, quas *Universaliores* adhuc appellat. Ut v. g. considerans duo *triangula*, ea reperit inter se omnimodo similia, i. e. habere utrumque & angulos & latera æqualia. Hæc uno universali nomine triangula *æquilatera* appellat. Alia deinde cum iis conferens invenit ea quidem esse similia sed non æque ac priora sed unum habere duo tantum vel

nulla laterum æqualia; quare unum nomen sed generalius iis omnibus imponit, & *Triangula* appellat. *Similitudo* autem ista vel est 1° in *essentialibus*, & *nomina* istam similitudinem significantia sunt *essentialia*, significant & prædicantur *essentialiter*: vel 2° in *Accidentibus*, sive iis, quæ essentiæ quidem non sunt, sed ei tamen adjunguntur & accedunt; & voces ea significantes dicuntur *accidentales*, significant & prædicantur *accidentaliter*: De quibus inferius.

4. Ex dictis consequi videtur: *Omnes res* in mundo existentes sive essentiam habentes realiter esse *singulares*. *Nec Universale* esse *rem aliquam unam*, sive naturam communem pluribus individuis. *Nec* terminos Universales significare quidquam reale præter singularia, *nec* opus esse *individuatione* aliquâ ut fiat quidquam singulare. Nec quidquam Platonis esse in Socrate; sed tantum aliquid in Platone esse simile alicui in Socrate. *Nec* Prædicamenta esse series rerum, sed tantum prædicatorum & subjectorum.

5. Sicut *conceptibus* in mente, ut dictum est, correspondent *voces prolatæ*, & *prolatis scriptæ*, sic & *propositionibus prolatis* & *scriptis* correspondent etiam *mentales conceptus complexi*. *Prædicatio enim cum sit affirmatio unius de alio*, Ut Socrates est homo; Non tamen unius *dictionis* de aliâ, *dictio* enim Socrates non est dictio homo. nec unius *rei* de aliâ; talis enim prædicatio est falsa. Nec unius *vocis* de seipsa; talis enim prædicatio dicitur *Identica*, & est ridicula. Sed est *significati* unius vocis (sive rei sive conceptus) de significato alterius. Adeo ut cum dicitur Socrates est homo; idem est ac si diceres; quod significatur per hunc terminum *Socrates*.

rates significatur etiam per hunc terminum *homo*. Nec tamen voces istæ *Socrates* & *homo* sunt *synonyma*; cum non sequatur, omnis homo est Socrates, sed vox *homo* multa significat quæ vox *Socrates* non significat; Platonem scilicet, Johannem, aliosque homines omnes particulares; adeoque est latior, i. e. est Universalis, cum Socrates sit particularis.

CAP. IV.

De Genere, Specie, & Individuo.

PRædicatio est *prædicati de subjecto enunciatio*. Et est multiplex. *falsa*, ut homo est Asinus. *Identica*, ut homo est homo. *Synonyma*, ut gladius est ensis. *Directa*, in quâ terminus significans plura prædicatur de termino significante pauciora; sive superius de Inferiori. *Indirecta*, cum significans pauciora prædicatur de significante plura, sive Inferius de superiori, ut animal est homo. Unde Regula, *omnis prædicatio directa conversione fit indirecta*. Alia prædicatio est *univoca, æquivoca, &c.* de quibus Inferius. Maxime autem celebris est distinctio in *essentialem* & *accidentalem*.

Essentialis est, quando *neutrum extremorum connotat extrinsecum supra reliquum*; ut homo est Animal. estque 1° vel in quid, & dicitur ab aliquibus *Quidditativa*, quando prædicatum nihil omnino connotat supra subjectum; estque vel de pluribus *differentibus specie*, & dicitur *Genus*; vel de pluribus *differentibus numero*, & dicitur *species*. Vel 2° in quale quid, & dicitur *Differentia*.

Accidentalis eſt *quando unum extremorum extrinſece commeat ſupra reliquum*, ut homo eſt albus. Idque vel *convertibiliter* & neceſſario, & dicitur *Proprium*: vel *contingenter*, & dicitur *Accidens.*

Unde oriuntur quinque univerſalium genera; Genus, ſpecies, Differentia, Proprium & Accidens. Et unum quodque univerſale eſt unum horum.

2. *Genus* eſt Univerſale, *quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in quid*; ſive eſſentialiter, i. e. reſpondet quæſtioni factæ per quid: & ſignificat ſimilitudinem eſſentialem multarum ſimilitudinum minus Univerſalium; nam ſicut ſpecies ſignificat plura particularia ſimilia, ita genus plures ſpecies ſimiles. ut ſi quæratur, Quid eſt homo, reſpondetur, Animal. Quid eſt Brutum? Animal.

Genus eſt *communius quâlibet ſuâ ſpecie*, quia præter ſignificata unius ſpeciei, includit etiam ſignificata alterius ſpeciei. nec eſt genus, quod non habet plures ſpecies. Et cum ſignificat omnia, quæ ſua ſpecies, non eſt pars ſuæ ſpeciei, licet ſit *pars definitionis* ſpeciei. de qua inferiùs.

3. *Species eſt Univerſale, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quid.* Sive, quod ſignificat ſimilitudinem eſſentialem individuorum. *Differre numero* dicuntur *Singularia*, ſive Individua, (quæ ſc: non poſſunt ulteriùs dividi). dicitur enim Animal eſt vel homo, vel brutum; Homo vel Socrates, vel Plato, &c. Socrates autem non poteſt dici vel dividi. autem *differre numero, quia differunt inter numerandum*; i. e. ſunt diverſæ unitates ejuſdem numeri. Hæc definitio eſt tantum ſpeciei *Specialiſſimæ*:

cialissimæ: aliæ enim species, quæ dicuntur *subalternæ*, definiuntur, quæ subsunt sive subjectantur Generi.

4. Notandum est Generum alia esse *summa*, quæ scilicet semper sunt Genera, & nunquam species, suntque *dicendo* tantum; alia vero *subalterna*; sic & specierum alias esse *infimas*, quæ nunquam possunt esse Genera; sed immediatè prædicantur de Individuis; alias verò *subalternas*, quæ & Genera subalterna vocantur: Genera sc: cum referantur ad Inferiora, species cùm ad superiora, i. e. cùm sunt *Prædicata*, dicuntur Genera; cùm *subjecta*, Species. Declarantur hæc similitudine in Genealogia hominis; sunt, Aliquis, Primus istius Generis Parens, qui sc: Pater fuit non filius, alius, sc: postremus, qui filius est non pater: alii, qui & Patres & filii: ascendendo, i. e. respiciendo Patres, sunt filii; descendendo, i. e. respiciendo filios, sunt Patres. Pater Primus est ut Genus summum sive Generalissimum: filius ultimus ut species infima sive Specialissima; Intermedii ut Genera & Species subalternæ. Exempla vero Generum & Specierum petenda sunt è seriebus Prædicamentorum. Quarum loco, quoniam ubique sunt obviæ, & quià aliis etiam inseruit, tradidi bonâ suâ cum veniâ seriem quam nuper edidit Botanicorum omnium facile coryphæus clarissimus *Morisonus* in suo de umbellis specimine.

5. De serie Prædicamentali, sive arbore Porphyriana hæc notanda sunt. Quod *descendendo à Genere summo semper dividimus* sive distinguimus, dicendo v. g. Substantia est Corpus *vel* Spiritus; Corpus, simplex *vel* mistum: i. e. Species prædicantur de Genere cum conjunctione disjunctiva; cum autem ventum est ad Individua, non possumus

mus ulterius dividere, quia numerus ipsorum incertus est & indefinitus. *Ascendendo verò ab Individuis colligimus* & quasi reducimus omnia ad pauciora, & tandem ad unum. Universalius enim plura significat & communiùs, minùs Universale verò pauciora & distinctiùs.

De quocunque species prædicatur, de ipso prædicantur omnia Genera illius speciei. Et cuicunque subjicitur species, ei etiam subjiciuntur omnia sub illâ specie contenta.

6. *Individua* sive Singularia multis modis solent exprimi, sc: vel *proprio nomine* ut Socrates; vel *nomine Universali cum pronomine demonstrativo*, ut hic homo; vel cum *adjectivo* sive signo *determinante*, ut quidam homo (dicitur Individuum vagum); vel aliquâ *descriptione*. ut Sophronisci filius.

Proprie loquendo Individuum de nullo prædicatur nisi accidentaliter: ut hic accedens est Socrates, sed unum significat.

Cap. V.

De Differentia.

1. Differentia essentialis (nam de ea tantum hic loquimur) *est vox aliqua essentialiter affirmabilis de unâ & non de aliâ specie*; ut rationalis de homine & non de bruto, & definitur *Universale, quod prædicatur de pluribus specie vel numero differentibus in quale quid.* [*quale quid*] i. e. cum quæritur verbi gratia quid sit homo, respondetur est animal; si ulteriùs, Quale animal, respondetur, rationale.

2. Duplex

2. Duplex est autem *differentia*, una quæ prædicatur de pluribus *differentibus specie*, & dicitur differentia *Generica*, quia prædicatur de iis de quibus genus prædicatur; ut sensibile de homine & Bruto; alia quæ prædicatur de *differentibus numero* tantum, ad-instar Speciei, & dicitur differentia *specifica*; ut Rationale de Socrate, Platone, & singulis hominibus.

3. Duplex etiam est *officium Differentiæ*, primum est *dividere Genus* in suas Species, & proinde dicitur *Divisiva*: sic Animal per rationale & irrationale dividitur in hominem & Brutum. Aliud vero *constituere Definitionem Speciei*, & proinde dicitur *Constitutiva*; quia Genus cum Differentia perfectam efficit Speciei definitionem, [ut Homo est Animal rationale,] ponitur sic: in definitione Speciei, non autem Generis; ut rationale. species enim illud significat præter Genus; sic homo præter illud totum quod Animal significat (nam species habet plura prædicata quam Genus) significat etiam illud quod rationale. & definitio Speciei constat ex Genere tanquam termino magis lato & confuso, & differentiâ tanquam æquali & distinctivo: & idcirco dicunt Genus esse *tanquam Materiam*, non tamen ipsam materiam, quæ pluribus communis est; differentiam vero non realiter, sed *ut formam*, quæ singulorum est propria.

4. De quocunque prædicatur *Genus*, de eo prædicatur *aliqua* ejus *differentia*, modo habeat aliquam differentiam: sed cum *unius rei simplicis unicus tantum* potest *esse conceptus essentialis*; & si sint plura nomina ens unum simplex significantia, necesse est ut sint vel synonyma, vel aliquid accidentale connotantia; sequitur,

res *simplices nulla differentia essentiali distingui posse*; ut Angelus non potest definiri nisi per privativum, quod non est propriè differentia, vel per accidentia. Sed & *composita significantium generum plurima* sunt, quæ ob sermonis inopiam *differentiam non habent*: nam cum differentia significet formam, formasque ignoremus, nec differentias cognoscimus. Sicut Bruti differentia (irrationale) impropriè dicitur: & specierum ejus distributio per differentias ignoratur. Nisi quis fingat Equinitatem, leonitatem & similia vocabula nulli conceptui correspondentia, ad differentias male exprimendas. *Differentia nec est Genus nec Species*: nec enim dicitur Rationale est duplex; nec habet rationale aliquod Genus supra se: aliter enim differentiæ esset differentia & sic in infinitum; quare nec essentialiter definitur.

CAP. VI.

De Proprio.

1. ESsentialiter nihil dicitur, nisi quod significet vel *ipsam rem*, vel *aliquam* ejus *partem*; reliqua omnia sunt *Accidentia*. hæc autem sunt duplicia, aliqua enim dicuntur cum voce solus, ut proprium; alia non.

2. *Proprium* vero duobus modis dicitur, 1º Quod convenit *soli alicui speciei*, i. e. prædicatur de Specie cum illa voce solus, ut solus homo est medicus, licet *non prædicatur de ei cum voce omnis*, non est enim verum dicere, Omnis homo est medicus, 2º quod convenit

soli Speciei & omni sub Specie contento. ut omnis & Solus homo est capax disciplinæ. Omnis Trianguli rectanguli quadratum hypotenusæ est æquale quadratis catheti & basis simul sumptis. Quare quod hoc modo est *Proprium, reciprocatur* & convertitur *cum specie.* Sic omnis homo est risibilis, & Omne risibile est homo. priori modo non.

3. Differt *proprium* à *Differentiâ*, quia differentia prædicatur *essentialiter*, i. e. sumitur ab aliquo essentiali; Proprium verò *accidentaliter*, & sumitur ab aliquo accidentali; quod tamen accidentale convenit subjecto naturaliter, & gratiâ differentiæ. Quare omne proprium secundo modo prædicatur etiam necessario; licet non essentialiter.

4. Quod prædicatur cum voce [Solus] reciprocatur cum subjecto cum voce [omnis] ut solus Homo est medicus, ergo Omnis medicus est homo. vel nullum non homo est medicus.

[Solus] quo ad quantitatem propositionis æquivalet tantum voci [aliquis] ut solus homo est medicus, i. e. aliquis homo est medicus.

Voci [*Solus*] multæ aliæ voces *æquivalent*, ut *tantum, unus* pro unicus: ut Hoc unum scio me nihil scire. Una salus victis nullam sperare salutem.

Canescere male dicitur proprium hominis in senectute, melius (si verum esset) diceretur proprium senis; si ita se res haberet, ut solus senex canesceret.

Cap. VII.

De Accidente.

1. Accidens si sumatur pro ipsâ re quæ accidit vel accedit ad aliud, dicitur, *quod potest adesse, vel abesse à subjecto sine ejus interitu*; ut calor potest inesse & separari ab aquâ; aquâ interim in perfectâ suâ essentiâ remanente.

Quòd si *Accidens* sumatur, ut est *Universalium* unum & prout hic intelligitur; alio modo debet definiri; *Accidens* scilicet *est Universale quod contingenter sive transmutabiliter de subjecto prædicatur*; sive quod aptum natum est prædicari vel non prædicari, i. e. affirmari vel negari de aliquo; subjecto pro eodem supponente. i.e. potest successive affirmari vel negari de eodem; subjecto sc: manente eodem.

2. *Accidens*, si quando prædicatur cum voce omnis, quod raro tamen fit, dicitur *inseparabile*, quia sc: nequit de subjecto propter mutationem aliquam naturalem & realem vere negari: ut Omnis cygnus est albus. cognoscitur tamen esse Accidens, quia prædicatum convenit aliis speciebus præter subjectum: & eâ ratione bene potest dici quod sit actu separatum ab illa specie cui soli non convenit.

Proprium enim prædicatur cum voce *solus*. Accidens vero non.

3. *Accidens* hoc modo sumptum *non semper* est accidens *realiter inhærens*, sed sæpe est substantia. ut Ariston est Pater Platonis. Pater prædicatur Accidentaliter de Aristone. sic poculum est argenteum & similia.

Quædam

Quædam accidentia *contingenter prædicantur* propter corruptionem accidentis realiter inhærentis, ut calidum, album. Quædam propter localem mutationem ut ſtans, ſedens. alia propter mutationem alterius ut creans, cognitum, pater, dominus, ſimile. alia propter mutationem temporis, ut juvenis. & ſimilia.

CAP. VIII.

De Æquivocis, Analogis, Univocis & Denominativis.

1. VOcum, quæ *plura ſignificant*, *quædam* ita ſignificant, ut voci *non* reſpondeat *unus conceptus* in animâ, & proinde nec una definitio. Et *vox* quidem *ipſa* dicitur *Æquivocum æquivocans* ut vox Gallus; *ſignificata* autem, *æquivoca æquivocata*, ut homo è Gallia & Avis.

Reg. Quare *æquivoca* voces *priùs ſunt diſtinguendæ* quam definiendæ, vel in argumentationem aut ſcientias admittendæ.

Nec ingrediuntur Prædicamenta quamdiu ſunt æquivoca, i. e. donec diſtinguantur. Quod una vox imponatur ad ſignificandum æquivoce eſt imperfectio illius linguæ, & defectus vocabulorum, licet in elegantiam quandoque convertatur.

2. *Æquivocæ* voces aliquæ ſignificant *unum eo modo ac ſi non ſignificarent aliud*; ut hoc nomen Socrates impoſitum diverſis hominibus in diverſis locis. Sic hoc nomen Gallus. & hæc

propriè dicuntur Æquivoca. Aliæ vero sunt, quando vox imponitur *uni primo*, & *subordinatur uni conceptui*, & postea propter aliquam similitudinem vel *analogiam imponitur etiam alteri*; ita ut huic non imponeretur nisi propter aliud. hæc dicuntur Æquivoca à consilio; sive *Analoga*, & vox ipsa dicitur Analogum *analogans*, significata ipsa dicuntur *Analogata*. hujusmodi sunt omnes ferè voces, quæ impropriè vel tropice significant. ut risus primo significat actionem ridendi in homine, per analogiam vero hilaritatem pratorum. sic sanum dicitur primo respectu Animalis, postea vero respectu Aeris, ciborum, urinæ, &c.

Reg. Analogum stat pro *famosiori analogato*, i.e. pro eo significato cui primum imponitur, vel quod principaliùs significat; ut proportio significat Geometricam proportionem.

Pleraque voces sunt Analoga, cum nulla ferè vox sit, quæ non tropicè aliquando significet.

Omnes voces *quæ distinguuntur sunt vel æquivoca*, vel *analoga*.

3. *Univocum* dicitur illud *quod subordinatur uni conceptui*, & proinde *una definitio significatis convenit*. Vox ipsa dicitur Univocum *univocans*, significata vero *univocata*. Ut Homo, animal, figura & similia.

4. Si *plures voces* significent *eandem rem*, eodem modo, dicuntur *Synonyma*, de quibus Logicus non agit; si una vox plures res, tum vel omnes propriè, & dicitur talis vox *univoca* (propriè, i.e. ita ut isti voci correspondeat unus conceptus, & una definitio) vel omnibus impropriè (i.e. ita ut iis non respondeat unus conceptus, nec una definitio) & dicitur *Æquivoca*, vel uni propriè, alteri vero impropriè, &

& per proportionem quandam, & dicitur *Analoga.*

5. *Denominativa* (paronyma) dicuntur istæ voces, *quæ casu*, i. e. terminatione sive syllaba finali *differunt*, & *una earum habet ab altera nominis appellationem.* Ut Justitia, Justus. ut hæc intelligantur notandum est tres spectandas esse voces. 1° *Denominantem* unde sc: fit denominatio, ut Justitia, estque plerunque Substantivum & accidens aliquod, & dicitur vox *abstracta*, 2° *Denominatam*, quæ sc: *recipit istam denominationem*, sic homo dicitur denominari Justus, estque plerunque in Prædicamento Substantiæ. 3° *Denominativam*, estque vox *quæ utramque comprehendit* ut Justus, & prædicatur de Denominato (ut Homo est Justus) velut *accidentaliter*; estque plerunque Adjectivum, & vox *concreta* sive coalescens ex alteris duobus. *Denominans* est vel Accidens vel ad modum Accidentis. *Denominans* & *Denominativum* sunt in eodem Prædicamento. *Denominatum* in diverso. *Denominativum* & *denominans* non prædicantur de se; sed *denominativum* de *denominato* prædicatur.

6. *Concreta* ideo sunt inventa ut multæ voces coirent in unum. tum quia res ipsas intimè conjungi eodemque actu in sensum incurrere cernebant, ut albedinem & parietem: tum ut sermoni multo parceretur; præsertim verbis auxiliaribus, v. g. [*potest*], ut risibile idem significat ac, quod potest ridere, [*facit*] calefactivus, quod facit calorem. [*habet*] tunicatus, qui habet tunicam. [*inest*] album cui inest albedo. [*similis*] humanus, qui similis est homini.

Concretum autem *primo* importabat rem aliquam

 quam

quam *cui abstractum adjungeretur*, quodque esset quasi abstracti subjectum. & *Abstractum* esset *quasi forma substantialis* vel *accidentalis* subjecto inhærens, ut anima animatum, calor calidum; Ad horum autem similitudinem aliæ etiam voces *abstracta* & *concreta* sunt inventæ, quæ tamen non significant tanquam subjectum & formam; sed se habent aliquando ut locus & locatum ut Anglus Anglia; aliquando *abstractum* significat multitudinem, *concretum* non, ut plebs plebeius; sæpenumero etiam sunt *synonyma*, & significant eandem rem, ut longum & longitudo secundum eos qui dicunt, quantitatem non distingui à quanto; ut Pater & paternitas, persona personalitas, equus equinitas, Deus Deitas, Ens essentia, licet ob communem loquendi usum de se invicem prædicari non possunt; idque præcipuè (ut mihi videtur) quia habent formam proprie dictorum Abstractorum & Concretorum. mire enim in his lascivire videtur humanus intellectus; adeo ut non tantum dicatur frigus & frigiditas, calor caliditas, (quæ tamen usitato modo loquendi non sunt de se invicem prædicabiles) sed & albedineitas, quantitativum, quasi essentia albedinis, & nescio quid Quanti & similia reperiantur.

7. Concretis similia sunt *Connotativa*, quæ significant *quantum oratio integra vel plures voces*; *unum* tamen significant *principale* & *connotant aliud minùs principale*, i. e. unum in recto, aliud in obliquo, vel etiam verbum; ut Album significat idem quod tota hæc oratio Aliquid habens albedinem. Causa significat illud, ad cujus esse sequitur aliud, vel aliquid potens aliud producere. hujusmodi *Connotativa* sunt

ſunt omnia *Concreta* propriè dicta, omnia item *relata*, & quæ non ſunt connotativa dicuntur abſoluta. ut ſimile dicitur quod habet talem qualitatem qualem habet & aliud, & omnes *termini* in prædicamento *quantitatis* ſecundum eos, qui ponunt quantitatem non diſtingui à ſubjecto: termini item *privativi*, & ſecundum aliquos etiam *infiniti*. item verum, bonum, unum, potentia, intellectus, & infinita alia.

Abſolutum verò dicitur quod *non ſignificat unum, primariò & principaliter*, & *aliud ſecundariò*; ſed *omnia æquè principaliter*. Et definiuntur tales voces per voces in caſu recto, & definitione *reali*, & non in obliquo & definitione *Quid nominis*, ut Connotativa.

Ratio autem, ut mihi videtur, quare hæ voces repertæ ſunt, eſt; quia intellectus velit res exprimere prout videntur æquè ac prout ſunt. res autem fere omnes non ſunt tantum compoſitæ, ſed & aggregatæ, à ſubjecto v. g. & accidentibus; hinc dicuntur Alba, calida, pulchra, &c. vel actionibus & paſſionibus, ut ſonora, calefactiva, calefaciens, calefactum, &c. præterea hæ voces plurimùm conducunt ad breviùs & concinniùs loquendum.

CAP. IX.

De Definitione.

1. EST aliqua *definitio* exprimens *quid nominis*, sc: declarans quid per talem vocem significatur vel importatur; ut si vellem docere, quid significet hoc nomen *album*, dicerem; quod significet idem quod hæc oratio, Aliquid habens albedinem. & hoc modo *Negativa*, *privativa*, *non entia* ut Chimæra, &c. sunt definibilia. sed nec nomina solum, sed etiam reliquæ omnes partes orationis, etiam syncategoremata. & definitio & definitum non proprie conjunguntur cum [*est*] sed, cum [idem significat ac].

2. Est alia *definitio quid rei* exprimens per rem intelligendo *significatum*; & definitur, *definiti* [plerunque obscuri termini] *per terminos notiores explicatio.* [*definiti*] i. e. subjecti in illa propositione in qua definitio ipsa est Prædicatum.

[*Terminos*] Definitiones non semper adhibentur ad *obscurum* explicandum; sed in scientiis & artibus iis utimur *non* tam *explicandi termini* gratiâ, quam ad *educenda inde corollaria*, & ad meliorem & faciliorem progressum in probationibus: ad quas eliciendas non semper requiritur, ut definitio constet ex *notioribus nobis*, sed ex *notioribus naturâ.* quam ineptè enim definiretur lux & calor, quæ primum in sensus occurrunt, nisi ad scientiam constituendam necessarium esset ea definire? melius tamen

esset,

esset, si hujusmodi definitiones per *notiora nobis* traderentur, melior enim est definitio *Archimedea lineæ rectæ*, brevissima sc: inter duo puncta extensio, quam *Euclidea*, *quæ ex æquo sua interjacet puncta*; licet hæc essentiæ ejus propior videatur. Sed neutra harum perfecta est, quia steriles sunt, nec alias propositiones pepererunt. melior forte adhuc; quæ *sita est intra omnes alias lineas, quæ ex omni parte duci possunt inter se æquales, ab eodem ad idem punctum*. reliquæ omnes dicuntur curvæ. Ex hâc autem definitione sequitur; duas rectas, quæ ab eodem ad idem punctum ducentur, in unam coincidere. Item duas rectas non posse includere spatium: Item curvam majorem esse recti sibi utrinque conterminâ. & curvarum majorem esse, quæ à rectâ magis distat. & rectam esse omnium inter eadem puncta brevissimam. Sic & definitio illa *Heronis* superficiei planæ, *cui ex omni parte recta linea congruit* melior est *Euclideâ*; *Quæ ex æquo suas interjacet lineas*; sic & melior caloris, qualitas activa corporis poros aperiens. frigus eos occludens.

Notiores] vel saltem *notiorem*, Notiores, ut prius, sunt *communiores*; ergo vel genus vel species. at quia communior non est convertibilis cum Definito; necesse est ut sit alius vel alii termini, qui sint æquè lati, & convertibiles; qualis est vel differentia vel proprium, vel cumulus accidentium. Quare definitiones sint perspicuæ quantum fieri potest.

3. *Reg.* Quicunque *terminus non* habet *notiorem*, *non* est *definibilis*, quales sunt summa genera.

Nullus terminus *æquivocus* potest definiri antequam distinguitur.

Nullus

Nullus terminus *relativus* potest perfectè definiri.

Nec definiuntur perfectè quæ *unica* sunt.

Definitio & definitum sunt *convertibiles* simpliciter.

Standum est *Antiquis definitionibus* nisi admodum gravis sit causa eas mutandi; (quod quidem raro accidit.)

Novos vero *terminos* licet imponenti definire ut libet, definiendi autem sunt prius quam iis utimur.

Diversæ Scientiæ tradunt *diversas definitiones ejusdem termini*, secundum quod sc: aliqui sunt in illis scientiis notiores. Sic Homo in Metaphysica dicitur Animal Rationale. in Physica, Substantia composita ex corpore & animâ intellectivâ.

Etiam *diversæ* possunt esse *definitiones ejusdem* termini licet *non in diversis Scientiis*. v. g. Angelus Est substantia abstracta à materiâ. vel Substantia intellectiva & incorporalis. vel substantia simplex non composita cum alio. Omnes tamen hæ definitiones significant eandem rem; sed non sunt omnes essentiales.

Definire valdè *periculosum* & difficile est præsertim in *moralibus*.

Melior est ea Definitio quæ constat ex *paucioribus*.

In definitione non debet esse terminus *obscurus*, æquivocus, aut ambiguus, sc: *non definitus*. Malè enim omittitur in definitione, quod per interpretationem addendum est. & malè agunt qui distinguunt de termino aliquo in definitione, cum prius evitare debuerunt illud ambiguum.

Definitioni inservit *Etymologia* & *nominis notatio*.

3. Definitio

3. Definitio est duplex, 1° *Essentialis*, quæ constat ex *Genere* & *differentia*; ut homo est Animal rationale: cui reducitur illa, quæ constat ex terminis significantibus partes Essentiales: nam: genus est *ut* materia, differentia *ut* forma.

Reg. Definitio *essentialis* est *æternæ veritatis*; sc: si est Homo, est animal rationale.

Non possunt esse *plures* definitiones *essentiales* ejusdem termini; per genus sc: & differentiam.

Definitiones *essentiales* *oriuntur* è *divisionibus* prædicamentalibus, & in ipsis prædicamentis sæpe deficiunt nomina differentiis; quare tunc & in similibus casibus definiendum est terminis, qui, quam fieri potest, proximè essentiam denotent.

2° *Accidentalis* sive descriptiva, constans aliquando ex accidentibus solis, aliquando verò ex *genere* & *cumulo accidentium*. Ut homo est Animal bipes, erectum, latis unguibus; ista autem accidentia *singula* conveniunt alteri à definito, *omnia* verò simul definito soli.

Sicut definitio *essentialis* est aptior scientiis, ita *descriptio* loquelæ ordinariæ; quia sumitur frequentissimè à notioribus nobis.

Sicut definitio essentialis constat ex terminis *ejusdem prædicamenti*, ita descriptio ex terminis *alterius* prædicamenti.

4. *Genera summa* & *Transcendentia*, cum non possunt nec definiri nec describi, suo modo declarantur; ut Ens est id quod est. in quâ oratione non tam respondetur quæstioni *Quid est*, quam *Quodnam est*; i. e. de Quo prædicatur Ens. Quodcunque sc: est, id dicitur Ens.

5. Est etiam alius definiendi modus & quidem

dem perfectiſſimus ſic-ubi haberi poteſt, quod raro fit, & eſt *per cauſam*: ut Eclipſis Solis eſt interpoſitio Lunæ inter Solem & Terram. Beatus eſt qui non ambulavit in conſilio impiorum. Evangelium eſt Potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Evangelium *Tit* 1. eſt agnitio veritatis quæ eſt ſecundum pietatem in ſpem vitæ æternæ; hæc definitio eſt *ab effectu*.

CAP. X.

De Diviſione & diſtinctione.

1. DIviſio propriè dicitur, Totius in partes Diſtributio. Logica autem tractat de ea diviſione tantum, quæ eſt *Termini Latioris* ſive communioris *in terminos anguſtiores* diſtributio.

Terminus latior eſt qui plura ſignificat, anguſtior, qui pauciora. Quod Dividitur dicitur *Diviſum*; ea, in quæ dividitur, dicuntur membra *dividentia*.

2. *Reg. Diviſum non* debet ſignificare aliquid, quod non ſignificetur etiam per unum dividentium. Dividentia abſorbeant diviſum. ut numerus eſt vel par vel impar. hæc autem diviſio non eſt bona, homo eſt bonus vel malus. Galba enim magis extra vitia quam cum virtutibus. nec hæc, homo eſt doctus vel indoctus, prodigus vel liberalis; Tempus eſt dies vel nox.

Dividentia non debent ſignificare aliquid quod non ſignificet diviſum quare.

Diviſum

Divisum prædicatur de utrovis dividente universaliter, & neutrum dividentium prædicatur de Diviso universaliter.

Neutrum dividentium debet coincidere cum altero. ut hæc non est bona, Numerus est par, impar, vel quadratus. Propositio est vera, falsa, vel probabilis.

3. *Divisio* est aliquando vocis *æquivocæ* in sua æquivocata, ut Gallus est vel homo è Gallia, vel Gallinaceus. *Analogi* in analogata, ut Ens est vel Substantia vel Accidens. *Univoci* in univocata; estque *generis* in *Species* ut Animal est homo vel Brutum: vel *generis in differentias* ut animal est rationale, vel irrationale. vel *Speciei* in Individua, ut Homo est Socrates vel Plato, &c. (Individua autem non dividuntur). vel *Denominati* in Denominativa, ut Homo est doctus vel indoctus. vel *termini primæ intentionis* in terminos secundæ intentionis, ut substantia est vel prima vel secunda. vel *Accidentis* in *Accidentia* ut Album aliud est dulce ut lac, aliud amarum ut succus tithymalli. vel *accidentis in subjecta*, ut bonorum aliud est corporis aliud animi.

CAP. XI.

De Oppositis. Disparatis. Eodem & Diverso.

1. OPpositio (simplicium terminorum) dicitur, Repugnantia duorum terminorum, qui nec de se invicem, nec de aliquo tertio termino singulari, simul & eodem respectu possunt prædicari.

Repugnantia duorum] Quia sunt plurimi termini, qui ita sibi invicem repugnant, ut non possunt de se nec aliquo tertio prædicari, nec tamen sunt Opposita; & vocantur *Disparati*; ut Arbor & homo.

Oppositorum autem unum alteri peculiari modo repugnat: ut album nigro.

Nec de se] in *casu* sc: *recto*, nam in casu *obliquo* Relative Opposita de se prædicantur, ut Pater est filii. Rex est subditorum.

Singulari] nam verum est dicere homo est albus, & homo est niger. & cum *copula de inesse*; nam verum est dicere Socrates fuit indoctus, Socrates fuit doctus; Socrates erit, potest esse albus, & Socrates erit, potest esse niger.

2. *Oppositorum* 4 sunt *species*. 1° ut Relatum & Correlatum, diciturque *Oppositio relativa*. 2° *Contraria* ut Album & nigrum. 3° Ut Habitus & Privatio, estque Oppositio *Privativa*. 4° Ut Affirmativus & Negativus, estque *Oppositio Contradictoria*.

Nemerus iste sic colligitur. Omnes *termini* sunt vel *Positivi* sive affirmativi, vel *non positivi*;

tivi ; *non positivi* sunt vel *negativi* vel *privativi*. *Positivi* vero sunt vel *absoluti* vel *respectivi*. Positivorum cum negativis dicitur *Oppositio Contradictoria*. Positivorum cum privativis dicitur *Privativa*. Absolutorum inter se dicitur *Contraria*; Respectivorum inter se *Relativa*. inter negativos, inter Privativos, & inter negativos & privativos, & inter absolutos & respectivos, nulla datur oppositio.

Termini *absoluti* dicuntur qui prædicantur de se in casu recto.

Relativi qui in casu obliquo ; ut Pater est filii.

3. Oppositio *Relativa* est Oppositio inter relatum & suum Correlatum ; ut inter Pater & filius ; Dominus & Servus.

Oppositio *contraria* est inter duos terminos qui positi sub eodem genere maxime inter se distant, & non possunt de se, vel de eodem subjecto dici simul, successive autem possunt. Sive sunt duo termini significantes contrarias qualitates.

Sub eodem genere] sic differunt à privativè & contradictoriè oppositis.

Prædicari de se] sic differunt à Relatis.

Successive autem possunt] sic excluduntur omnes termini de prædicamento substantiæ & Quantitatis, quia non prædicantur contingenter. Contrariæ enim sunt solummodo Qualitates ; vel alia gratiâ Qualitatum.

Privativè Opposita dicuntur Habitus sive terminus positivus, & sui privatio. *Privatio* autem dicitur, Absentia alicujus à subjecto capaci. *Negatio* autem dicit simplicem Absentiam.

Privatio autem non est aliquid reale distinctum ab omni positivo. Sed significat aliquid affirmativè aliquid negativè ; & definitione

quid nominis explicatur; ut Cæcus dicitur, qui non habet visum, natus tamen est habere. Sic cæcitas non est quid reale in oculo (licet habeat formam vocis affirmativæ & positivæ) sed est omnino nihil. & habere cæcitatem non est habere aliquid, sed carere eo, quod est aliquid. est sc: absentia visus ubi debet esse. Sed absentia visus non magis est aliquid ubi debet esse quam ubi non debet esse. quare privationes æque ac negationes sunt in vocibus tantum non rebus.

1. *Reg.* Non unus horum terminorum positivus sc: vel privativus, sicut nec unus contrariorum, nec relativorum prædicatur de quolibet alio termino. Sic omne ens non est divisibile vel indivisibile; finitum vel infinitum; videns vel cæcum. album vel nigrum; pater vel filius.

2. Terminus Privativus non est æque latus ac negativus. sic malè arguitur, spatium non est creatum, ergo est increatum; ergo aliquid increatum præter Deum, cum spatium non sit reale.

3. Habitus & Privatio semper sunt circa idem; ejus est cæcitas cujus esset visus.

Nulli vitium est nisi cui virtus potest esse. Sen. ep. 124.

5. *Contradictorii* dicuntur termini *affirmativus & suus negativus*; ut homo non homo.

1. *Reg.* Contradictorium unum semper affirmatur de quovis termino, ut Omne ens est homo vel non homo.

2. Inter Contradictoria non datur medium.

3. Contradictoria sunt maxime Opposita.

4. Contradictorium unum non infert suum Contradictorium de subjecto opposito. Sicut non

non sequitur, calor est qualitas, ergo frigus est non qualitas. Bonum est hominem mulierem non tangere; ergo malum est homini mulierem tangere.

Quæritur quomodo opponatur longum & breve, magnum & parvum, primum & secundum, prius & posterius. Resp. Relativè.

De Identitate & diversitate.

Licet tractare de *eodem* & *Diverso* seu *dissimili* non propriè spectat ad *Logicam*; breviter tamen proponam aliquàs conclusiones (in Metaphysica probandas) quia conducere ad pleniorem rerum cognitionem & intellectum videntur. Loquimur autem de distinctionibus inter creaturas, aliæ enim melius est ut omnino Theologis relinquantur. Dico ergo.

1. *Duæ res quæcunque sint*, i.e. si utraque earum sit verè res, *distinguuntur realiter*. Et omnis res est realiter distincta ab omnibus aliis rebus. & omnis distinctio rerum extra animam est realis. Et quæcunque distinguuntur per seipsa distinguuntur, & non per aliquid extrinsecum.

2. Unius rei simplicis unicus tantum est verus essentialis conceptus: accidentales vero vero plurimi; quare nec diversæ rationes essentiales.

3. *Compositæ* rei *plures* possunt esse *essentiales conceptus*; & plures rationes, quæ inter se *distinguuntur ratione*. nam sicut distinctio realis est inter diversas res, ita distinctio rationis inter plures rationes. i.e. conceptus. Sed res non ideo dicitur distingui à se ipsâ ratione, magis quam distinguitur à seipsa realiter ob aliquas res quæ ipsa non sint.

4. Distinctio Entis realis ab ente rationis vel aggregati ex ente reali & rationis ab ente reali vel ente rationis, vel consimili aggregato non est stricte distinctio realis nec rationis, nec nomen aliquod habet.

4. *Diversæ rationes* sive considerationes *diversimode* per voces *exprimuntur*, licet eadem sit res. quare non est concludendum, diversa esse entia quamdiu interpretatione vocum identitas salvari potest, i. e. Entia non sunt multiplicanda sine necessitate.

5. *Identitas omnis realis est numerica*, & diversitas realis est inter diversa individua; adeo ut eadem res particularis dicatur esse idem sive unum numero. sic Marcus & Tullius. Iste homo & Petrus. Virgilius & Princeps Poetarum sunt unum numero.

6. *Unum* vel *Idem specie* dicuntur, quæ licet sint diversa individua de iis tamen prædicatur eadem species. & *unum* sive *Idem Genere* dicuntur de quibus idem Genus prædicatur.

7. *Vocum connotantium* diversas v. g. formas in eodem subjecto, ut album & dulce in eodem lacte, significata distinguuntur realiter. Idem dicendum est de vocibus significantibus modos diversos, sive sumantur à conditione, loco, relatione, vel alio quocunque. nisi quis malit dicere; cum quis v. g. quærat de albo & dulci (lacte) quomodo differant, esse fallaciam plurium interrogationum: quia scilicet aliquid (lac v. g.) significatum per dulce significatur etiam per album, sive est Idem cum albo; aliquid vero diversum realiter: albedo sc: & dulcedo. sed prior solutio est magis formalis. dicendum vero est de *longo & lato* ejusdem corporis, ea esse realiter idem, partes sc. ejus-

dem

dem corporis, sed differre ratione; sive esse diversas rationes vel considerationes earundem partium. sic de *superiori* & *inferiori* eodem locato, dicendum est ea differre ut duo relata, &c.

CAP. XII.

De Prædicamentis in Genere.

1. OMnia ferè *prædicata* reduxerunt Antiqui ad certas classes sive series, quas *Prædicamenta* appellarunt. ferè, dico, quia nonnulla sunt, quæ certum locum sive ordinem sortiri non possunt; qualia sunt voces æquivocæ & analogicæ; nomina partium, artificialium, & similia. sicut & *Transcendentia*, sive prædicata universalissima; & *Generalissimum* & communissimum prædicatum omnium terminorum affirmativorum *est ens*, quod de omnibus affirmatur. Quicquid enim est dicitur Ens, sive res, sive aliquid. Dividitur vero *Ens* in *substantiam*, quæ per se subsistit; & *Accidens*, quod inhæret in Substantia. Sed de his tractant Metaphysici. ad Logicam pertinet solummodo cognoscere,

Quod Prædicatorum & Subjectorum *quædam* in Prædicamento *Substantiæ*, alia in Prædicamentis *Accidentium* ponuntur; Prædicata & Subjecta intelligo Genera, Species, & differentias, quæ prædicantur *univocè* de individuis in eodem Prædicamento; Accidentia autem prædicantur etiam *denominative* de terminis in Prædicamento Substantiæ.

Series

Series autem *Accidentium* non semper denotant *accidentia realia*, sed *prædicata accidentalia*, i. e. talia, quæ non essentialiter prædicantur; sive quæ connotant aliquos conceptus *non essentiales*. sic *Quantitas* revera nihil est nisi partes *Quanti*, sed connotat earum partium quasdam esse extra alias. idem etiam nonnulli dicunt de calore, frigore, figura, & aliis quibusdam qualitatibus; & de aliis suo loco videndum est. sed nec Prædicamenta omnia habent nomina alicujus summi generis: Quando enim v. g. & ubi non sunt omnino genera nec species, sed syncategoremata interrogationibus necessaria. Relata etiam sunt voces secundæ intentionis. Sed de his postea.

2. Hic autem notandum est, quod *quicquid prædicatur* directè de *prædicato, prædicatur* etiam de *subjecto.* & hæc dicitur prima regula antepredicamentalis.

2. Genera omnia *superiora* prædicantur de Speciebus *infimis*, & earum Individuis.

3. Per genera sua superiora sufficienter distinguitur species infima à cæteris omnibus terminis alterius Prædicamenti.

4. Quod subjicitur subjecto subjicitur etiam prædicato.

5. *Diversorum Generum* & non subalternatim positorum *diversæ sunt species* & *differentiæ.* Sic Animal & scientia sub Substantia & Qualitate diversas habent species & Differentias. Genera autem subalternatim posita dicuntur, quorum unum prædicatur de alio & non denominativè.

6. Generum autem *subalternatim positorum* nihil prohibet easdem esse Species & differentias. superioris enim divisivæ differentiæ sunt inferioris

inferioris constitutivæ. & hæ duæ secundam regulam ante prædicamentalem constituunt.

3. Prædicamenta sunt decem. Substantia. Quantitas. Qualitas. Relatio. Actio. Passio. Ubi. Quando. Situs. Habitus. Secundum numerum Quæstionum. Quid, Quantum, Quale, Cujus, A Quo, ad quid, Ubi, Quando, Quomodo, qualiter.

Ad hæc, ut supra dictum est, reducuntur fere omnia Entium genera. quare eorum cognitio utilis est ad repræsentandum quasi in compendio singula nomina entium in Mundo, ad suggerendum locos inventionis, ad constituendas definitiones, & ad judicandum de veritate multarum Propositionum.

Cap. XIII.

De Prædicamento Substantiæ.

1. SUbstantia definiri non potest, quia est summum Genus; describitur autem Ens per se subsistens.

In prædicamento Substantiæ sunt aliqui termini particulares qui dicuntur Substantiæ primæ, alii Universales, qui dicuntur substantiæ secundæ. De primis Substantiis prædicantur alii termini omnes; *substantiales* quidem *Univoce* & *essentialiter*; & substantiæ primæ sunt *Univocata* tantum, summum genus *Univocans* tantum; cæteri omnes termini intermedii & univocantes & univocati: *accidentales* autem accidentaliter & denominativè; in concreto sc: secundum nomen; in abstracto vero non secundum nomen, sed significatum *inest* substantiæ primæ; & neutrobique secundum definitionem.

2. A primis substantiis inductivè arguitur ad secundas; à secundis vero ad primas *negative*. Ut Socrates & Plato, &c. est Animal, ergo omnis homo est animal, & non est homo, ergo non Socrates.

Minus Universales dicuntur magis proprie Substantiæ, primo quia respondent magis apte quæstioni factæ per quid de primis, ut Quid est *Socrates*? aptius respondetur, est Homo, quam est animal. secundo quia Substantiæ primæ non solum subsistunt per se, sed in iis etiam insunt accidentia omnia.

3. Proprietates Substantiæ.

1. Omni Substantiæ convenit non inesse in subjecto.

2. Inferio-

2. Inferiores termini singuli habent & *nomen & definitionem superiorum.*

3. Omnes Substantiæ primæ de prædicamento Substantiæ videntur *significare hoc aliquid*, hoc est unum aliquid; substantiæ vero secundæ significant plura.

4. Substantiæ *nihil est contrarium.*

5. Termini de Prædicamento Substantiæ *non prædicantur cum magis & minus.* & tamen dicit Aristoteles Speciem esse magis Substantiam quam Genus; i. e. aptius responderi ad quæstionem *quid est* de aliquo individuo per speciem quam genus.

6. Substantia eadem numero per-manens est *capax contrariorum successivè.*

Cap. XIV.

De Quantitate.

Quantitas dicitur, quæ denominat rem quantam vel quotam. estque primo *continua*, cujus partes inter se conjunguntur aliquo communi termino. lineæ enim quamlibet partem accipiamus, & alteri conjungitur, saltem ex unâ parte: quod si aliqua ulterius non procedat, dicimus eam partem non posse ulterius dividi sed ibi terminari: & proinde dicitur *punctum.*

Continuæ Quantitatis species sunt.

Linea, longitudo sine latitudine & profunditate.

Superficies, longitudo & latitudo sine profunditate.

Corpus, longitudo, latitudo, & profunditas.

Tempus, mensura motus secundum prius & posterius.

Locus, Superficies concava corporis ambientis. licet ob quasdam locutiones fortasse magis proprie diceretur, Spacium intra superficiem ambientis corporis. dicitur enim corpus esse *in loco, & intra superficiem*.

2. Discreta, cujus partes communi termino non copulantur; estque Numerus, Unitatum multitudo.

Vel Oratio, mensura syllabarum longarum & brevium.

Proprietates Quantitatis sunt.

1. Quod quantitati nihil est contrarium.

2. Quanta non prædicantur cum magis & minus.

3. A Quantitate res dicuntur æquales; scilicet quæ habent eandem Quantitatem: & inæquales quæ diversam.

Quomodo explicandi sint omnes modi loquendi secundum opinionem eorum, qui sustinent, Quantitatem nihil aliud esse quam partes extra partes: nec distingui realiter ab iis sive substantiâ, sive qualitate, quorum sunt partes, non est hujus loci declarare.

CAP. XV.

De Qualitate.

QUalitas est à quâ subjectum denominatur quale.

1. Qualitatis quatuor sunt species. prima est Habitus & dispositio. Habitus vero est Qualitas multis actionibus acquisita, difficulter mobilis à subjecto. & facit ut Agens agat facilè & cum voluptate. ut virtus & scientia, &c. Dispositio vero est habitus quidam inchoatus, sive dispositio ad habitum.

Habitus & actus sæpe appellantur eodem nomine, ut Scientia est & actus sciendi & habitus.

2. Species qualitatis est Naturalis potentia & impotentia: estque potentia sive facultas à naturâ insita quà aliquid dicitur Habile ad aliquid agendum vel patiendum; ut Intellectus, voluntas. Impotentia vero est debilior potentia.

Potentia naturalis, propria passio, propria affectio, & proprium idem significant.

3. Species qualitatis est Patibilis Qualitas & passio. Patibilis qualitas dicitur, quæ infert passionem sensui. sive objectum proprium cujusvis sensus. ut color, lumen, calor, &c. Passiones vero dicuntur subitæ animi commmotiones; ut ira, pudor. sicut & mutationes colorum faciei ex iis ortæ ut rubor ex verecundiâ, pallor, &c.

4. Species Qualitatis dicitur figura, quæ est terminorum sive extremorum quantitatis certa

dispositio; ut si quæratur quale sit corpus, respondetur Rotundum, quadratum, triangulare. & forma, quæ est debita colorum commixtio, unde formosum quid dicitur.

Proprietates Qualitatis.

1. Aliquæ Qualitates (habitus sc: morales, & patibiles qualitates) aliis qualitatibus sunt contrariæ. ut virtus vitio, album nigro.

2. Quidam termini de prædicamento qualitatis prædicantur cum Magis & minus. sic justior, i.e. magis justus. candidius, magis candidum.

3. Gratiâ Qualitatum res dicuntur similes, i. e. si habent easdem qualitates, & dissimiles, si diversas.

CAP. XVI.

De Relatis. Sive iis quæ dicuntur ad Aliquid.

1. TErminorum *connotantium* aliqui prædicantur de aliis in *casu recto*, alii *in casu obliquo* tantum; sicut Pater dicitur Filii. & hujusmodi termini proprie dicuntur Relata. proprie dico, quia sunt alii termini qui dicuntur aliquo modo ad aliquid licet sint absoluti, ut manus est alicujus manus; calidum est calore calidum. tales termini sunt in aliis prædicamentis, nec sunt nati prædicari in casibus obliquis tantum; sicut non est semper verum dicere, omnis equus est alicujus; nec habent correlata, sine quibus definiri non possunt. *Relata* autem, *relativ*, *ad aliquid* proprie dicta,

&c.

&c. sunt voces *secundæ Intentionis*: & proinde non significant *res*, sed tantum conceptus sive alias *voces primæ intentionis*. Voces autem relativæ significant plura absoluta: ut Pater significat quantum hæ voces, homo habens filium. termini autem significantes relationem *in abstracto* facti sunt ad similitudinem *formarum* aliorum abstractorum; licet, ut dictum est, non supponunt pro alio præter sua *concreta*. Sic similitudo v. g. significat Socratem & Platonem, & eorum albedines; nullum vero ens inter utrumque, quia tale ens non datur. quicquid enim est (de creatis loquimur) *absolutum* est, sive per terminum absolutum significatur. nec Pater paternitate (i. e. aliqua re relativâ) est pater, magis quam columna dextraitate est dextra: sed multæ hujusmodi impropriæ locutiones usitatæ sunt apud eos, qui asserunt, relationem esse rem aliquam distinctam ab omnibus absolutis. & qui multiplicant entia secundum multitudinem terminorum.

2. Terminos in prædicamento Relatorum difficile est ordinare. excludendi sunt isti, (de quibus dictum est) improprie dicti, quique frequenter sed perperam dicuntur secundum dici. hic vero collocandi sunt *proprie relativi*: ut causa, Dominus, signum, effectus, activum, producens, agens, & hujusmodi cum suis correlatis. omne scilicet nomen vel participium, quod de nullo potest verificari, nisi vere adjungatur casus obliquus alterius dictionis, præter suum abstractum (nam calidum non est relatum etsi sit calore calidum.) hinc sequitur verba frequenter poni in prædicamento actionis & passionis quorum participia & verbalia sunt relata.

 3. Proprie-

3. Proprietates Relatorum.

1. Quidam termini relativi sunt contrarii; & 2° dicuntur cum magis & minus. ut Socrates est magis similis Platoni quam Thersites. Illi scilicet termini qui fundantur in iis quæ sunt contraria. Termini autem Relativi dicuntur Relatum & correlatum, inter quæ haberi dicitur Relatio, & ista Relatio fundari dicitur in aliquo alio; gratiâ sc: cujus est ista relatio. ut relatio similitudinis in Qualitate, æqualitatis in Quantitate.

3. Relata dicuntur ad convertentiam. convertibiliter dicuntur quæ de se mutuo prædicantur in casu recto; ad convertentiam, quæ in obliquo.

4. Omnia relata sunt simul naturâ. simul naturâ dicuntur quæ dicuntur ad convertentiam; neutrum autem est causa alterius. sic sublato servo tollitur dominus, &c.

Prius naturâ dicitur alio, à quo non retro commeat essendi consequentia. ut unum est prius duobus, quia sequitur si duo sunt, unum est; non retro si unum est, duo sunt.

CAP.

CAP. XVII.

De Actione & Passione.

CUm quicquid fit per *nomen* significetur, necesse est, ut *verba* non significent diversum quid à nomine; quare Agere & pati non significant res diversas à cæteris prædicamentis substantiæ & qualitatis; sed easdem res cum connotatione rerum aliarum.

Actio autem & passio supponunt pro eadem re, sed non subordinantur eidem conceptui propter diversa connotata; actio enim connotat agens, passio patiens. adeo ut non habeant eandem definitionem *quid nominis*.

Agere autem qui potest vel *in aliud*, ita ut actio transeat ab uno ad aliud, ab agente sc: in passum; quod exprimitur per verba propriè activa, & dicitur *Actio transiens*.

Vel potest actio remanere *in agente*, ita ut idem prorsus sit Agens & patiens: diciturque talis *Actio immanens*, & exprimitur per verbum Neutrum, ut curro, nec habet ullum passivum sibi correspondens.

In Prædicamentum Actionis ponuntur verba omnia active significantia sive immanenter sive transeunter.

In Prædicamento Passionis verba omnia passiva.

Activa, autem significant vel *agere* vel *facere*: *passiva*, autem significant vel *pati* vel *fieri*. & prædicatio hoc modo fit, quod calefacit v. g. agit, quod calefit patitur. reducere autem omnia verba ad certas species difficile, si non impossibile, est.

 1. Proprie-

1. Proprietates. Actiones aliquæ & Passiones (eæ sc: quæ fiunt à contrariis) sunt contrariæ; ut calefacere est contrarium frigefacere; & Calefieri, frigefieri.

2. Tales etiam termini dicuntur cum magis & minus. ut magis calefacit ferrum candens quam stipula accensa.

CAP. XVIII.

De Quatuor reliquis Prædicamentis.

1. IN Prædicamento ubi ponuntur adverbia ista quæ respondent quæstioni factæ per ubi, ut in foro.

2. In Prædicamento Quando ponuntur ea quæ respondent quæstioni factæ per quando, ut heri, cras. & non significant res diversas à vocibus aliorum prædicamentorum; sed easdem res adverbialiter tantum.

3. Situm dicunt positionem partium in loco. & in hoc ponuntur aliquot verba neutra. stare, sedere, jacere. Item Angulus. Septentrio, Meridies, &c. dextra, sinistra, ante, retrorsum.

4. Habitum dicunt ut indumentum habere.

CAP.

CAP. XIX.

De Suppositione.

1. DIfficilis & ſubtilis admodum eſt hæc de *ſuppoſitione* tractatio, & ab Authoribus diverſimodè, ſed fere ſemper obſcurè, tradita. Eſt autem *Suppoſitio Vocis cujuſpiam uſus pro re quam quomodocunque ſignificat.* Nam dum voce utimur pro ſignificato, vox illa dicitur *ſupponi*, ſubſtitui, vel ſtare pro illo ſignificato. Cum enim loquimur, è rebus ipſis ſermones componere non poſſumus; ſed ex vocibus eas ſignificantibus; & proinde eas voces in rerum locum ſubſtituimus; ac de iis arguimus, ac ſi eſſent ipſiſſima ſignificata. Quare neceſſe eſt, ut differentiam vocum à ſignificatis, vel potius modi ſignificandi ab ipſiſſimis ſignificatis inveſtigemus. Cum (ut ſæpius dictum eſt) non accuratè & naturaliter, ſed artificialiter tantum rebus correſpondent; quin & à nativâ impoſitione, vel à conſuetudine, vel neceſſitate, (primis linguarum inventoribus non omnia pervidentibus) forte etiam ornate loquendi deſiderio, divergebant. unde orti ſunt hi, quos Logici appellant, *Modi ſuppoſitionum*. *Suppoſitio* autem non eſt ſignificatio ipſa; ſicut Album ſignificat quidem albedinem, idque principaliter; ſed non ſupponit pro albedine; cum non poteſt dici Albedo eſt alba. Neque nomina ſupponuntur niſi pro iis quæ demonſtrari poſſunt per pronomen [*hoc*]. ſic *negativi* & *privativi* ſignificant quidem, ut & *Syncategoremata*; ſed non ſupponunt:

nunt: cæcus enim non ſupponit pro negatione, ſed pro animali non vidente. tales ergo termini, ut & *Verbales*, dicuntur *Termini non ſupponentes*, nec poſſunt definiri niſi definitione quid nominis exprimente. Sed ſignificandi modus, & ejus cognitio ab uſu, bonorumque Authorum lectione, & accuratâ conſideratione potiùs quam Regulis quibuſcunque petenda eſt. in omnibus enim ſequendus eſt ſenſus vulgo uſitatus, potius quam verborum ſtructura. Notandum vero eſt primo Suppoſitionem eſſe earum vocum tantùm quæ ſignificant, non autem de non ſignificantibus, ut Chimæra, Blictri, &c.

2. Et eſſe ſolùm in propoſitione; nam licet vox ſignificet extra propoſitionem, non tamen cognoſcitur quo modo ſignificet niſi in propoſitione formetur.

3. Authores uti & ſupponit & ſupponitur indifferenter.

2. *Suppoſitionum* variæ ſunt ſpecies, primo eſt Suppoſitio *materialis*, ſive technica (qui præcipuè utimur in terminis Artis) eſtque cùm vox ponitur pro ſeipsâ, i. e. non ſignificativè, ut Homo eſt nomen. Caput eſt diſſyllabum; homo & caput non *ſignificant* ſeipſa, & tamen *ſupponunt* pro ſeipſis. Sic bene eſt adverbium; homo eſt Animal eſt propoſitio vera. Vox autem ſic ſupponens habetur pro Singulari tantum. quare hæc contradicunt: Homo eſt diſſyllabum, homo non eſt diſſyllabum; & ex iis fiunt Syllogiſmi expoſitorii; nec à voce eo modo ſupponente arguere licet vel ad ejus Superiora, vel ad inferiora.

2. Suppoſitio *ſimplex* eſt; Cum vox ſignificativa ponitur præciſe *pro intentione ſive con-*

ceptu

ceptu formali mentis, ut Homo est Species, & non pro significatis; significat enim homo individua sua quæ sunt veræ res extra animam. in hac propositione, Hominem esse animal verum est, subjectum supponit simpliciter. Sic quando dicitur, Homo est creaturarum nobilissima, homo ibi non supponitur pro Individuis; subintelligitur enim species, sic, Homo est nobilissima species omnium specierum creaturarum. Vox autem simpliciter accepta in argumentatione habetur tantum pro singulari: adeo ut talis syllogismus sit Expositorius v. g.

Homo est creaturarum corporearũ nobilissima
Homo est Species infima ergo
Aliqua species infima est creaturarũ nobilissima.

3. Suppositio Personalis, quando terminus tenetur significativè, sive supponit pro suo significato, sive sit extra animam; ut homo est animal. sive vox; ut Omne nomen est pars orationis. sive intentio & conceptus animæ, ut omnis species est Universale. sive scriptum, ut Omnis dictio scripta est vox. Adeo ut vox Universalis supponat personaliter cum ei potest addi signum Universale vel Particulare. Singularis autem cùm in ejus locum potest substitui ipsius superius, vel ejus Denominatum, eâdem scilicet veritate. Ut Plato fuit Philosophus Atheniensis, Petrus fuit primus Apostolorum, &c.

Notandum autem est, primo hunc esse Naturalem & ordinarium supponendi modum; & quemlibet terminum in propositione quâcunque posse supponere personaliter, nisi ex utentium voluntate aliter coarctetur; eo modo sc: quo terminus Æqvivocus potest pro quolibet significato supponere, nisi arctetur ad

unum

unum certum ex voluntate utentis. omnis autem terminus non poteſt ſemper habere ſimplicem vel materialem ſuppoſitionem; ſed tunc tantum cùm comparatur alteri extremo, quod conceptum animæ, vel vocem reſpicit.

2. *Not.* Categorematicam vocem ſolummodo ſupponere perſonaliter; eamque, quæ eſt extremum propoſitionis ſignificativè ſumptum. quare Syncategoremata nulla, ut & nec verba (in illa enim Legere bonum eſt, legere ex uſu communi ſtat pro nomine) nec partes ſubjecti vel prædicati; ut in hac, homo albus eſt animatus, nec homo nec albus, ſupponunt perſonaliter ſed totum Subjectum.

3. *Not.* De quolibet ſupponente perſonaliter poſſe monſtrari illud pro quo ſupponit poſſeque dici hoc eſt tale v. g. hic eſt homo.

4. Suppoſitio perſonalis dividitur, primo in Diſtributivam. Secundo Collectivam. Tertio Determinatam. Quarto Confuſam. & explicantur per 4 modos deſcenſus Logici: primo Copulativum, qui fit per conjunctionem copulativam copulative ſumptam, & ſervit explicandæ diſtributivæ, ut omnis homo eſt animal, i. e. hic & ille & iſte &c. homo eſt animal. Secundo Copulatum explicandæ collectivæ; fit per conjunctionem Copulativam copulatim ſumptam, i. e. non connectentem propoſitiones Categoricas, ſed partes alterius extremi alicujus propoſitionis. ut omnia elementa ſunt quatuor. i. e. Ignis, aqua, terra & aer elementa ſunt quatuor. Tertio Disjunctivum explicandæ determinatæ; fit per conjunctionem disjunctivam acceptam disjunctivè, i. e. connectentem propoſitiones ſimplices ſaltem ſecundum ſenſum. Quarto Disjunctum explicandæ

plicandæ confusæ; sic per conjunctionem disjunctivam disjunctim acceptam.

Distributionem autem afferunt vocibus signa omnia Universalia, tam affirmativa quam Negativa.

Dictiones significantes excessum aut diversitatem eam vocem distribuunt, quam regunt vi excessus aut diversitatis. Taurus ferocior est equo. Vulpes astu vincit Leonem. Frutex differt ab arbore. nisi res ejusdem speciei conferantur, ut Stella differt à Stella in claritate. homo quantum distat ab homine. in his enim & talibus & Subjectum & prædicatum supponunt determinatè.

Dictio exclusiva distribuit prædicatum, si subjectum afficiat affirmative; ut Sola animalia ægrotant, i. e. quicquid ægrotat est animal. Priscianus fuit tantum Grammaticus, i. e. Grammaticam & nullam aliam Scientiam tenuit.

6. Suppositio Collectiva, quam aliqui vocant copulatam, cernitur in hujusmodi propositionibus. Omnia elementa sunt quatuor. Tres homines vicerunt unum. & est, qua vox communis supponitur pro suis significatis copulatim; i. e. quando alterum propositionis membrum significatur omnibus vel pluribus simul sumptis, non autem singulis seorsim, convenire. Hanc efficiunt voces, Omnes sive Universi, ambo. item voces numerales, & sæpe sine his & à sensu tantum dijudicatur; ut Animal sine alimento diu vivere non potest. Animal ibi sumitur distributive, sed alimento collectivè. sensus enim est, non posse carere omnibus simul alimentis, non autem singulis. Sic omnis homo habens omnem pecuniam

 est

est diver: *pecuniam* ibi supponitur collective. Sic in illa, omne animal præter hominem est irrationale: *præter hominem* sumitur collectivè; quia non potest concludi, ergo Omne animal præter Joannem est irrationale.

Suppositio Determinata est, qua vox communis ponitur pro suis significatis disjunctivè enumerandis; sive quando contingit descendere per disjunctivam ad Singularia. ut sequitur; Homo currit, ergo hic, vel ille, vel iste, &c. homo currit. talis enim propositio vera est pro aliqua Singulari determinata; & quælibet singularis sufficit ut propositio sit vera. Sic utrumque extremum sumitur determinatè in hac propositione; Homo est animal. sequitur enim ergo vel hic, vel iste, vel &c. homo est animal. & homo est vel hoc, vel istud, vel, &c. Animal. In hac propositione autem, Quidam homo non est justus; homo sumitur determinate, justus autem distributivè. Signum, *Alter*, quod est signum particulare, aliquando significat unum è duobus, aliquando diversum tantum. v. g. sint duo magni inimici, verum est de iis dicere; uterque alterum amat. vera est propositio si *alterum* significet, aliquem alium hominem; falsa si alterum, i. e. inimicum suum.

Suppositio confusa (quam aliqui vocant confusam tantùm) est, quâ vox communis ponitur pro significatis suis disjunctim enumerandis; i. e. ita ut alterum propositionis extremum significetur convenire huic, vel isti, vel illi, vel ulli reliquorum indistinctè; ita ut non contingat descendere ad inferiora nec per disjunctivam nec copulativam. ut tantum homo currit, non sequitur tantum ille, vel iste.

Sic

Sic sumitur prædicatum in his. Omnis homo est animal: quia non possumus descendere sub animali ad sua singularia per disjunctivam. quia non sequitur omnis homo est animal, ergo est hoc, vel illud, vel istud animal. Sic subjectum harum propositionum. Alteruter oculus est necessarius ad videndum. pecunia est necessaria ad mercimonia comparanda. Equus est necessarius equitaturo. i. e. neque hæc, neque illa, neque ista sed aliqua pecunia est necessaria.

Regulæ de argumentationibus respectu suppositionum propositionum.

1. Vitiosa est argumentatio in cujus parte aliqua vox communis distribuitur, quæ in antecedente non fuit distributa. plus enim requiritur ad veritatem propositionis in quâ est vox distributiva, quam in qua est vox non distributa. Ut enim verum sit omnis homo est sanus, oportet hoc prædicatum convenire singulis hominibus. ut autem verum sit hominem vel aliquem hominem esse sanum, sufficit si unicus sit sanus.

2. Vox sumpta collective habetur singularis. quare huic, omnia elementa sunt quatuor, non contradicit ista non omnia elementa sunt quatuor, sed omnia elementa non sunt quatuor. & in argumentando cavendum est ne arguamus à voce collectivè sumptâ, ac si distributivè sumeretur. hoc modo scilicet, omnia elementa sunt quatuor. Terra & aqua sunt elementa, ergo sunt quatuor.

3. Vitiosa est argumentatio, si ab una voce in antecedente sæpius determinatè posita progrediaris ad eandem semel duntaxat positam determinatè: si ei adjungatur vox distributa. v. g. Aliquod

quod animal non est homo, & aliquod animal non est bestia. ergo aliquod animal non est animal. valeret argumentatio si in antecedente semel tantum poneretur animal, ut aliquod animal neq; est homo neq; bestia. ergo. vel, Aliquod animal non est homo, idem animal non est bestia. ergo.

+ Non valet argumentatio, quâ ex voce communi confusè sumptâ arguitur ad eandem sumptam determinatè, neque in quâ ex voce confusè sumpta arguitur ac si poneretur Determinatè: v. g. Omnis homo est animal, ergo aliquod animal est omnis homo. Pecunia necessaria est empturo, ergo vel aurea, vel argentea, vel ærea. sed nulla harum, ergo nulla.

Suppositioni pertinent Status, Distractio, Ampliatio, quæ ei conveniunt respectu temporis verbi principalis.

Statum autem suæ suppositionis habet dictio, si in propositione sumatur pro iis rebus duntaxat, quæ respondent tempori per verbum principale consignificato. Distractionem habet, si pro illis tantùm, quæ respondent alii tempori. Ampliationem, si pro pluribus rebus, quam quæ respondent tempori verbi principalis.

V. g. Qui surgebat stat, sedens surgebat; ergo sedens stat: hic prædicatum majoris & minoris & utrumque extremum conclusionis habent statum suppositionis suæ. Subjectum majoris distrahitur, & Subjectum minoris ampliatur ad præsens & præteritum. Sed hæc melius ad fallacias reduci mihi videntur.

SECUN-

SECUNDA PARS LOGICÆ.

De vocibus complexis & Propositionibus.

CAP. I.

De Oratione & ejus Partibus.

1. ORatio sive vox *Completa* est plures voces simul junctæ cum verbo. Ejusque Partium, i. e. vocum aliæ sunt *Syncategorematicæ*, quæ per se non supponunt, sed additæ aliis significationem earum modificant. Cujusmodi sunt multa adjectiva, ut omnis, nullus; Pronomina Adjectiva; voces omnes indeclinabiles, nisi supponunt materialitèr. sunt autem sicut cifræ, quæ etsi nihil valent, additæ tamen numeris eos valere faciunt; Et sunt partes subjecti vel prædicati, non autem ipsum subjectum vel prædicatum. Aliæ *Categorematicæ* (qui & Termini strictè loquendo appellantur) sunt, quæ per se significant, & possunt esse Partes essentiales, i. e. subjectum vel prædicatum Propositionis. hujusmodi sunt Substantiva omnia, sive nomina, sive Pronomina; & Adjectiva, & Participia substantivè posita; & omnes voces supponentes materialitèr; & hæc omnia dicuntur *nomina*, quia significant ad modum nominis; altera Pars essentialis est *verbum*.

2. *Nomen* autem est appellatio cujusvis rei

prout in se est, sine relatione scilicèt actionis vel passionis; & proindè non variatur cum differentiâ aliquâ temporis, præsentis scilicèt, præteriti, vel futuri. Casus autem rectus dicitur nomen; cæteri dicuntur *Casus nominis*, & sunt partes subjecti vel Prædicati; nomen autem est subjectum vel prædicatum in propositione.

3. *Verbum* est Pars Orationis significans rem cum connotatione agendi vel patiendi ad aliud, & variatur cum aliquâ differentiâ temporis. Hujusmodi sunt *Verba* omnia sive *Activa*, sive *Passiva*, sive *Neutra*; suntque vel Copula, vel Copula & prædicatum simul.

Nam omnia verba *resolvuntur* in verbum Substantivum cum Participio; ut Currit est Currens; amabit est amaturus; amatur est amatus; amabitur est amandus.

Cap. II.

De Propositione, ejus partibus, & Speciebus.

I. USitato more loquendi *Propositio* idem est ac Oratio; licèt Propositio magis propriè diceretur ea tantum quæ dicitur *Categorica*; & Oratio etiam ea quæ dicitur *Hypothetica*.

Orationum autem alia est Indicativa, cujus verbum sive Copula, est Indicativi modi & præsentis Temporis, directè aliquid affirmans vel negans; diciturque *Categorica*, & constat ex uno subjecto, uno prædicato, & unâ Copulâ.

Subjectum dicitur, quod præcedit Copulam, i. e. est suppositum verbi.

Prædicatum, quod sequitur. *Copula* est verbum Substantivum. Ut, Socrates legit librum. Socrates est subjectum: legens librum, est prædicatum: & *Est* est Copula.

Quinam vero terminus est subjectum, qui Prædicatum, ex sensu & constructione cognoscitur, non terminorum positione. Ut, turpe est obsequi libidini; Turpe est Prædicatum.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atq; metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumq; Acherontis, &c.

Fælix est prædicatum, qui potuit rerum, &c. est subjectum: Oratio enim integra, vel etiam Orationes possunt esse Subjecta vel Prædicata in propositione. Observandum autem est hujusmodi

jusmodi sententias plures propositiones comprehendere, quæ accuratè distinguendæ sunt; v. g. Qui potuit cognoscere causas est fælix. Qui sibi subjecit omnes Metus. Qui sibi subjecit fatum. Qui sibi subjecit strepitum Acherontis, &c. est fælix; & hæ omnes propositiones sunt Categoricæ, & faciunt unam Hypotheticam Copulativam.

Copula propriè nihil aliud innuit quàm, Illud, quod significatur per subjectum, significari etiam per prædicatum; nunquàm autem significat subjectum vel prædicatum reverà esse vel existere; & proinde licet Propositiones Indicativi modi, sint præteriti tamen vel futuri temporis, quibus scilicet inest *fuit* vel *erit*, resolvendæ sunt per *Est*. Erit, est futurus. Ut, Puer est futurus senex: fuit, i. e. factum est. Nam non licet dicere Puer erit senex, ergo senex erit puer.

Ex usu loquendi Copula aliquando implicat causalitatem. ut Bonum est, quod Deus vult, i. e. Velle Dei facit esse bonum: Aliquando etiam idem est ac significat; ut differentia est forma, i. e. significat formam.

2. Orationum, i. e. Propositionum (seu potius Complexorum Propositionalium) aliæ sunt aliorum modorum; Imperativi scilicet, Potentialis: & istæ resolvuuntur hoc modo. honora Parentes; Ego jubeo, hortor &c. ut tu honores parentes; Tu potes honorare Parentes; Oro, Opto, precor, &c. ut tu honores Parentes. Et Orationes omnes hujusmodi, in quibus sunt plures Copulæ, i. e. plures Orationes per conjunctionem aliquam unitæ, dicuntur *Hypothetica*. Sic *Interrogationes* etiamsi fiant per verbum Indicativum sunt Hypotheticæ,

theticæ, & resolvendæ per Quæro, ut Quæro num Socrates legit.

CAP. III.

De Propositionibus Hypotheticis.

PRopositiones dicuntur Hypotheticæ, etiamsi sint Copulativæ, disjunctivæ, causales, relativæ, vel discretivæ; quia hypotheticæ scilicet sunt principales. Hypotheticarum tot sunt species, quot sunt species conjunctionum propositiones unientium: cujusmodi sunt.

1. *Copulativæ*, sive plures Categoricæ per Copulativam unitæ, ut Mors & vita in manibus linguæ, i. e. vita est in manibus linguæ, mors est in manibus linguæ. quare ad has reducendæ sunt eæ Propositiones, quarum partes per Articulum copulantur. Ut, sperat infestis, metuit secundis alteram sortem benè præparatum pectus.

Ad harum Propositionum veritatem requiritur utriusque membri veritas; ad falsitatem utrius-vis falsitas.

2. *Disjunctivæ*, quæ scilicet per disjunctivam copulantur; nihil refert, utra propositio præponatur. Ut, aut amat, aut odit mulier, nihil est tertium.

Harum veritas dependet ex membrorum verâ oppositione; sive sint species cujusdam generis, sive Contradictoriæ. Ut, omnis homo agit vel propter iram vel metum; falsa est, quia non sufficientèr enumerantur disjuncta. si

si autem fiat sufficiens enumeratio, sufficit tunc ad veritatem hujusmodi propositionum, si una pars sit vera; & ut sit falsa, necesse est ut utraque sit falsa. Ut, hæc est vera, Deus honoratur aut blasphematur à viris bonis.

3. *Conditionales* sunt, quæ per conditionalem *si* uniuntur. Ut, si quid principio essendi caret, est infinitum. potest hujusmodi propositio esse vera, licet utræque propositiones sint falsæ; modo consequentia sive dependentia unius ex aliâ sit bona; nihil enim aliud affirmat vel negat hujusmodi Propositio. Ut, si Angelus è cælo evangelizaverit vobis præterquam quod evangelizavimus, anathema sit. Potest etiam utraque propositio esse vera, consequentia falsa: Ut, si sol cras oriatur, serenus erit dies. Conditionalis enim ita se habet, ac si quis dicat, si Antecedens sit, consequens etiam est, vera. si verum sit plenilunium esse, verum est etiam æstum esse maximum. Qui autem supponit, nihil affirmat nec concedit.

4. *Causalium* ea ferè est ratio quæ conditionalium, differunt autem, quia Antecedens debet esse causa consequentis. tolluntur in altum, ut casu graviore ruant. possunt quia posse videntur.

Et proinde utraque propositio debet esse vera, & causalitas etiam vera; Ut, hæc est falsa; N est infælix, quia sub tali sydere natus; licet sit infelix, & natus sub tali sydere; si nasci sub tali sydere non est causa infælicitatis.

Sed ad harum veritatem non semper est necesse, ut sit causa vel conditio realis; sed sufficit, si conjunctio significet causam assensus nostri tali conclusioni: Ut, quia homo est risibilis,

sibilis, est rationalis. sive credo eum esse rationalem, quia est risibilis. Quare eadem propositio est cum eâ, quam rationalem sive Inductivam appellant.

Ad Causalem reducuntur *Reduplicativæ*: Reges quà reges solo Deo minores. i. e. Reges *quia Reges* solo Deo minores. Ad has enim requiritur, ut unus terminorum sit causa alterius. resolvitur autem sic; Homo quatenus homo est risibilis. 1° Omnis homo est risibilis. 2° Omne risibile est homo. 3° Homo, quia est homo, est risibilis. Sed in his propositionibus *Quia* debet significare causam immediatam, & completam; Ut, Homo quà potentiam motivam habet, ambulat, falsa est; quia licet non potest ambulare sine potentiâ motivâ, hæc tamen non est immediata & adæquata causa ambulationis, sed ejus voluntas.

5. *Relativarum* veritas dependet ex veritate comparationis, de quibus postea.

6. *Discretivarum* veritas dependet ex veritate utriusque propositionis, & earundem oppositionis; ut, fælicitas non dependet ex divitiis, sed sapientiâ, huic contradicitur dicendo.

1° Felicitatem dependere ex divitiis, non sapientiâ.

2° Eam nec dependere à divitiis, nec sapientiâ, sed aliquo alio.

3° Eam dependere ex divitiis & sapientiâ.

7. Notandum etiam est plurimas esse Propositiones Categoricas hypotheticis *æquivalentes*, i. e. quæ, etsi Categoricæ videantur, intelligi tamen non possunt, nisi ad hypotheticas reducantur. hujusmodi sunt eæ, quæ vocantur. 1° *Exponibiles*; Exclusivæ scilicet, exceptivæ,

ceptivæ, & Comparativæ. Nam de Reduplicativis jam, quantum sufficit, dictum est. 2° Illæ etiam, quas vocant *modales*. Et 3° Illæ in quibus insunt termini *connotativi*, relativi, privativi, & infiniti, &c. Et ad illas non potest responderi unico responso, quod sint vel universales vel particulares; Nam sic committetur fallacia plurium Interrogationum; sed oportet eas primò exponere, deinde respondere.

1°. *Exclusivæ* sunt, in quibus est signum exclusivum; ut tantum, unicus, solus: (Solus autem aliquando habet significationem solitarii, ut Petrus solus portavit illud onus, i. e. sine comite): quod vel subjecto vel prædicato applicatum ea excludit; ut, Priscianus solus est Grammaticus, differt ab illâ, Priscianus est solus Grammaticus. Propositio exclusiva aliquando resolvitur in tres simplices, ut Prudentia sola virtutum est scientia, i. e. Prudentia est virtus; 2° Prudentia est scientia. 3° Nulla alia virtus est scientia. Hirundo sola avium pascitur in volatu, i. e. hirundo est avis. 2° Hirundo pascitur in volatu. 3° Nulla alia Avis ita pascitur. Sæpiùs verò in duas solvuntur. Ut, Priscianus solus est Grammaticus, i. e. Priscianus est Grammaticus. 2° Nullus alius est Grammaticus. Priscianus est solus Grammaticus, i. e. Priscianus est Grammaticus. 2° Nihil aliud est quàm Grammaticus.

Exclusivæ etiam *Negativæ* pari modo in duas resolvuntur; ut non solus homo est quadrupes in primam, homo est quadrupes, & secundam Aliquid præter hominem est quadrupes. Dicunt autem aliqui alio modo resolvendas esse; sic: vel nullus homo est quadrupes,

drupes, vel ſecundo aliquid præter hominem eſt quadrupes. aliter duæ contradictoriæ eſſent ſimul falſæ, ſc: ſolus homo eſt quadrupes; non ſolus homo eſt quadrupes. Et ex hoc fundamento negat Bell: conſequentiam Chemn: arguentis, Concilium Trident: aſſerens hominem non juſtificari ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti concedere, homines juſtificari imputatione Juſtitiæ Chriſti, licet non ſolâ. Sed mihi videtur primus modus exponendi eſſe tenendus; neque argumentum de falſitate contradictoriorum valet. quia conſtat illas, Solus homo eſt quadrupes, & non ſolus homo eſt quadrupes non eſſe contrâdictorias propoſitiones; id eſt, negationem non exercere vim ſuam in copulam, prout habetur in illa propoſitione Concilii Tridentini; ſed tantum in ſignum excluſivum; licet & aliquo modo etiam verum ſit, aliquid præter hominem eſſe quadrupes. Sic ſola ſubſtantia non eſt in ſubjecto, exponitur; Subſtantia non eſt in ſubjecto, & omne præter ſubſtantiam eſt in ſubjecto. Sic ſolus homo non eſt expers medicinæ. latro eum tantum non occidit.

Infirmantur autem propoſitiones exceptivæ non tantum contradictoriis ſuis, ſed & contradictoriis quarumlibet earum propoſitionum, per quas exponuntur. Ut, ſola nobilitas eſt virtus, infirmatur dicendo. 1. Virtutem non reddere nobilem. 2. Aliud quiddam, v. g. genus reddere nobilem æque ac virtutem. 3. Aliud v. g. genus reddere nobilem & non virtutem. 4. Nec aliud v. g. genus nec virtutem reddere nobilem. Hoc unum ſcio me nihil ſcire à Dogmaticis improbabatur, quia alia etiam ſciuntur, à Scepticis, quia nec hoc.

 2. Exclu-

2. Exclusivis affines sunt *exceptivæ*, & in eas sæpius commutantur. sunt autem in quibus sunt voces *præter*, *præterquam*, excipio, &c. ut omne animal, præter hominem, præterquam homo, excepto homine, est rationis expers. licet *præter* aliquando significet *contra*, ut facis præter dignitatem tuam. aliquando etiam meram diversitatem, ut aliquis Rex, præter Cræsum, fuit dives. De *nisi* etiam dubitatur, quia potius significare videtur *Si non* (per metathesin, ut nimirum *mirum ni*) quam *non si*. Et huic expositioni congruè disputat Aug. tractans illud Mat. 19. Quicunque dimiserit, &c.ª dicit enim sententiam istam [non esse exceptivam, sed] habere hunc sensum; Qui dimiserit uxorem suam non ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur; adeo ut nihil ibi dicatur de eo, qui ob fornicationem uxorem dimiserit, & aliam duxerit. Exponuntur autem exclusivæ eo modo. Ut, 1° maximâ ex parte res ita se habere dicatur, 2° ex aliqua tamen parte ita se non habere: Avarus, nisi cum moritur, nil recte facit, i. e. Avarus maximâ ex parte nil recte facit. 2° aliquando tamen, i. e. cum moritur, recte facit. Omne animal præter hominem est expers artis Medicæ. Homo, saltem aliquis, non est expers artis Medicæ. Omne animal quod non est homo est expers, &c. alii addunt tertiam sc: homo est animal. Sed hæc supponi potius videtur quam formaliter contineri. Et sic ejus contradictoria, non omne animal præter hominem est expers Medicinæ, resolvitur, vel nullus homo est animal, vel nullus homo est Medicus, vel aliquod animal, quod non est homo, est expers, &c. Infringitur autem vis exceptivæ.

exceptivæ. v. g. præter sapientem omnes insaniunt, dicendo. 1. Sapientem æque ac reliquos insanire. 2. Alios præter sapientes non insanire. 3. Sapientes insanire reliquos non.

3. Ad *comparativas* propositiones tria requiruntur; duo sc: comparata, & unum in quo comparantur. & in proprie dictis comparationibus illud tertium utrisque convenire supponitur: idque vel in gradu positivo, i. e. omnibus æqualiter; vel in comparativo, uni plus, alii minus; vel in superlativo, uni maximè, aliis parum. quare harum resolutio facilis est; ut terra est gravior aquâ, i. e. Terra est gravis. aqua est gravis: Aqua non est adeo gravis ac terra. sed frequens est *impropria comparatio*, quando sc: comparata non conveniunt in positivo; ut melior est patiens arrogante. arrogans autem sibi videtur bonus. melius est (i. e. minus malum) habitare cum Dracone, quam muliere litigiosa. Cum D. Aug. Donatistis dixisset; Traditionem nos vobis probabiliùs objicimus: Cresconiusque inde intulisset. Si vos probabilius, nos ergo probabiliter. nam gradus iste, quod ante positum est, auget; non, quod ante dictum est, improbat. D. Aug. multa adfert exempla, ubi comparativum non supponit positivum; sed impropriæ, ut dictum est, sunt comparationes. Superlativæ vero in quatuor resolvuntur; ut Virgilius est Poetarum doctissimus. Virgilius est doctus; alii Poetæ sunt docti; sed non æque ac Virgilius. Virgilius summe excedit omnes alios. Infirmantur hujusmodi propositiones negatione cujusvis exponentium.

4. *Modalium* quatuor genera tantum constituit Aristoteles, quia hisce cognitis reliquæ etiam

am facilè dignoſcuntur; licet ſunt aliquæ æque modales, & quæ totam propoſitionem æque afficiunt. ut Socratem eſſe doctum, ſcitum eſt, certum eſt, evidens eſt, verum eſt, bonum eſt, conveniens, facile, &c. Modi autem quatuor ſunt; neceſſe, contingens, poſſibile, impoſſibile. Idem autem eſt dicere, Neceſſe eſt hominem eſſe animal, & homo neceſſario eſt animal. & utrumque ſignificare talem modum v. g. *neceſſe* verificari de tota illa propoſitione Homo eſt animal; quæ *de ineſſe*, & *dictum* dicitur. *Neceſſarium* in ſignificando æquivalet *Univerſali affirmativæ*; *impoſſibile*, *univerſali negativæ*; *contingens* & *poſſibile particulari affirmativa vel negativa*; (quid enim intereſt inter poſſibile & contingens in modo afficiendi propoſitionem non video); i. e. ſi propoſitioni alicui vere addatur modus ille ſive ſignum *neceſſe*, illa propoſitio eſt Univerſaliter vera; inſuper etiam non poteſt eſſe falſa. & ſic de reliquis.

Signum negationis vim ſuam exercet tantum in illud cui præfigitur, ſive dicto ſc: ſive modo. [quod & obſervandum eſt in omnibus aliis propoſitionibus, exceptivis, excluſivis, &c.] ut hominem non eſſe inſenſitivum neceſſe eſt, dicit hanc propoſitionem negativam eſſe neceſſario veram, & æquivalere illi, impoſſibile eſt hominem eſſe inſenſitivum. Sic hominem eſſe doctum non eſt neceſſe, non negat hominem eſſe doctum, ſed tantum non eſſe neceſſe ut ſit doctus.

Notandum autem eſt in quam vocem modus ſive ſignum vim ſuam exerceat. v. g. in hâc propoſitione omne verum eſt neceſſario verum, modus afficit *prædicatum*, & eſt propoſitio falſa, in hâc autem omne verum neceſſa-

rio est verum, modus exercet vim suam in *copulam*, & est vera. Necesse est ut cras pluat vel non pluat, modus afficit conjunctionem tantum, neutram vero propositionum. quare propositionum illarum à conjunctione *vel* absolutarum neutra est necessaria. impossibile est serenum & pluviosum esse simul, modus applicatur tantum copulativæ *&*. Nunquam autem potest argui à modo afficiente unam partem, ad eundem modum afficientem alteram partem, propositionis.

Possibile explicatur per *potest*; ut possibile est hominem ambulare, i. e. homo potest ambulare. & cum *potest* verificetur de omnibus non impossibilibus, omnia etiam præter impossibilia, etiam necessaria & contingentia possibilia dicuntur. unde dictum vulgare. *Ab esse ad posse valet consequentia.* Quod autem est tantum possibile, i. e. nec necessarium nec impossibile dicitur contingens. & proinde est verum in utrâvis qualitate, ut contingit hominem currere. sequitur ergo contingit hominem non currere. quare ea non sunt contradictoria; sed contingit hominem currere, & non contingit hominem currere.

Propositiones in quibus insunt *Connotativa*, exponuntur etiam per duas ad minimum; ut Socrates est albus; per has, Socrates est, & habet albedinem. Socrates est quantus. Socrates est, & habet partes unam extra aliam. Sic ubi sunt termini *relativi*. Socrates est similis Platoni. Socrates habet qualitatem: & Plato habet qualitatem ejusdem rationis. Sic ubi sunt termini *infiniti*, ut Arbor est non homo, arbor est, & non est homo. nam termini, quos vocant infinitos, sunt proprie negantes, infiniti

niti vero per accidens tantum: Quare hæc propositio non est vera in virtute sermonis, chimæra est non homo; quia sc: non est. nec tamen inde sequitur Chimæram esse hominem; licet hæc sit vera, chimæra est vel homo vel non homo: nam illa propositio Chimæra est non homo est affirmativa, & proinde ejus subjectum debet supponere pro aliquo: non autem supponit materialiter nec simpliciter, ergo personaliter; ergo potest demonstrari pro quo supponit, de quo sc: dici potest hoc est Chimæra. Sic & quibus insunt termini *privativi* per plures quam duas exponuntur, ut Socrates est Surdus, i. e. Socrates est. natus est audire. tamen non potest audire. Propositiones, quibus inest terminus *incipit* & similes, exponitur per duas, ut Socrates incipit esse sobrius, i. e. Socrates nunc est sobrius. & immediate ante non fuit sobrius. ponitur autem *immediate* ante, quia potuit esse sobrius antequam fuit non sobrius. idem dicendum est de *desinit*, ut Socrates desinit esse doctus, i. e. Socrates jam est doctus. Socrates immediate post hoc tempus non erit doctus. Sic *fit* & *fiet* sunt exponendi. Socrates fit doctus, i. e. Socrates est doctus. Socrates non semper fuit doctus. fiet doctus, i. e. non est doctus. sed in aliquo tempore posthac erit doctus.

CAP.

Cap. IV.

De aliis Propositionis divisionibus. Et de Qualitate Propositionum.

1. Divisio Propositionis, vel potiùs Orationis in Categoricam & Hypotheticam, dicitur *Divisio secundum ejus substantiam*, sive materiam; ex quâ scilicet constat. & si quæratur *quænam* sit hæc vel illa Propositio, v. g. Socrates est albus; respondetur, est Categorica, vel Hypothetica. Si autem quæratur *Qualis* sit Propositio; respondetur, est Affirmativa vel negativa. Et si quæratur *Quanta* sit: respondetur, est, universalis, particularis, indefinita, vel Singularis: unde versus.

Quæ? Ca. vel Hyp. Qualis? Ne vel Aff. Un. quantâ? Par. In. Sing.

2. Propositio dicitur Affirmativa, *in quâ Copula affirmatur*; sive in quâ subjectum dicitur esse prædicatum, ut Socrates est doctus. Negativa est in quâ *copula negatur*; ut, Socrates non est doctus. Quod si Negatio non exerceat vim suam in copulam; sed vel in Subjectum, vel prædicatum, faciens ea infinita, vel in aliquam partem eorum, propositio non est negativa. v. g. Judex iniquus hominem nihil culpæ habentem condemnat; Aliquis non homo est animal; aliqua Arbor est non Animal; sunt Affirmativæ: Et illæ, Nullus homo est irrationalis; Nullum irrationale est doctum; Salvator nec indignatione commotus, nec scele-

lere offensus, nec injuriâ violatus, Judæam deseruit, negativæ sunt.

3. Duæ Negationes non faciunt Affirmativam, nisi quando una destruitur ab aliâ. Sic, Hic sceleratus non timet vel Deum, vel homines; hic sceleratus non timet Deum, neque homines; hic sceleratus non timet neque Deum, neque homines; idem valent, & sunt negativæ.

Negatio infinitans propriè negat; infinitat autem, cùm sit pars vocis cui adjungitur. Ut, non-corpus est Substantia.

Si *non* ibi sit infinitans, est propositio indefinita, affirmativa, & vera; si sit negans, propositio est universalis, negativa & falsa.

Utraque tum affirmativa, tum negativa potest esse *vera*, si significet rem ità se habere ut est; vel *falsa*, si significet rem esse, sicut non est. Veritas & falsitas dicuntur qualitas rei, seu melius significati, quia res nulla vera vel falsa est: Et in hâc propositione, Homo est arbor, utriusque termini significatum vere est.

Veritas tamen Propositionis sæpè est dubia & obscura, nec non nisi ratiocinatione subtili inveniri potest (de quâ regulas dare difficile est). Ut, Quidam hæreditatem promisit illi Nepotum, qui primus falsum dixerit: respondet unus, Certus sum te non mihi daturum hæreditatem.

Cap.

CAP. V.

De Divisione Propositionis secundum Quantitatem.

PRopositio secundum quantitatem dividitur in *universalem, particularem, Indefinitam* & *Singularem*; ad quarum intelligentiam plenam videndum est Cap. de Suppositione.

1. Universalis est, cujus subjectum est Terminus communis; sivè, universalis signo universali amplificatus; Sive, cujus subjectum sumitur in tota latitudine suâ. Signa autem universalia sunt, Omnis, Nullus, quicunque, qui pro quicunque, ut fælix qui potuit rerum cognoscere causas, &c. Signa item temporis, vel loci universalis, ut, ubique, semper, quandocunque, &c. & secundum aliquos uterque & neuter; & totum, cum significat compositum, & singulas ejus partes, ut totus Socrates, (i. e. singulæ partes Socratis) est minor Socrate.

Aliquæ sunt Propositiones revera universales sine aliquo signo. quare quantitas propositionum à sensu & modo loquendi magis quam verbis ipsis dependet. Ut, ursi sunt nigri; Cygni sunt albi; Cretes mendaces, & similes.

Veritas scilicèt propositionis universalis cognoscitur ex materia; nam aliquando per propositionem universalem significantur,

Singula generum, sive omnia particularia istius generis ità se habere. Ut, Omnis homo est rationalis.

Genera singulorum, ut, Omnes bestiæ, (i. e. omne

omne genus bestiarum) salvæ factæ sunt in arcâ Noæ. decimant omne olus, i. e. omne genus olerum.

Pene omnia sive pleraque, & hoc frequens est in moralibus; ut omnibus hoc vitium est cantoribus. Omnes Jurisconsulti deceptores. Omnes fœminæ loquaces; licet reverà & strictè loquendo morales istiusmodi propositiones sunt tantùm indefinitæ.

Aliquando *cum exceptione*, tegit omnia cœlum; utique præter seipsum. Subjecit omnia pedibus ejus; excepto eo scilicet, qui omnia subjecit.

Cum tacitâ reflexione. Omnia mihi licent, i. e. omnia, quæ licent, licent & mihi. Primum sermonem feci de omnibus, quæ Jesus cœpit docere & facere. i. e. omnia, quæ priori libro scripsi, scripsi de factis Domini Jesu; nunc autem. Omnes per eum salvi facti sunt. i. e. qui salvi facti sunt, per eum salvi facti sunt. Angli sunt boni Milites terrâ marique. i. e. Angli, qui sunt milites, sunt boni milites. Omnes Catilinæ milites cæsi sunt vulneribus in anteriori parte corporis receptis. i. e. Omnes, qui cæsi sunt, cæsi sunt vulneribus &c.

Pro duobus tantùm ubi scilicet exprimitur vel intelligitur uterque vel neuter, ut utrumque oculum amisit.

Notandum est etiam Propositiones ad demonstrandum adhibitas in Mathematicis esse reverà universales; sicut & in Jure, licèt solum casum ponunt inter Titium & Sempronium; sicut & illa; ut seminas ità & metes, & similes.

Item, hanc propositionem, Illi currunt, licet

licet ei poteſt addi ſignum univerſale, ut Omnes illi currunt, eſſe ſingularem; quia *omnes* nihil addit ſignificationi iſtius pronominis, idem enim eſt dicere illi currunt, & omnes illi currunt; additur tantùm *Omnes* plenioris & vehementioris expoſitionis gratiâ; ſic alter eorum currit, eſt indefinita; Quilibet eorum currit, eſt univerſalis.

Propoſitiones, quarum ſubjecto præponitur *Multi*, ut Multi homines ſunt vitioſi, non ſunt univerſales; quia ſubjectum non per ſignum amplificatur ad totam ſuam latitudinem; ſed reſtringitur ad aliquam tantùm; & proindè æquivalet tantùm pluribus particularibus.

Quid eſt dicendum de Propoſitionibus hujuſmodi; Qui mortificat opera carnis ſalvabitur? eſt formaliter indefinita, intelligitur tamen eſſe univerſalis ſi & prædicatum ſumatur univerſaliter; hoc modo ſcilicet, Qui mortificat omnia opera carnis ſalvabitur. Sic, qui facit alteri quod ſibi fieri velit, implet legem; ſed Aliquis, ebrius v. g. facit alteri, quod ſibi fieri velit. ergo. Reſp. Maior eſt indefinita; neque implet legem aliud ſignificat, quàm legem juſtitiæ, non totam legem. Avaritia eſt radix omnis Mali. i. e. Nullum eſt mali genus, quod ab avaritiâ provenire non poteſt.

2. *Particularis* eſt, cujus ſubjectum eſt terminus communis ſigno particulari, ut aliquis, aliquando, alicubi, &c. contractus; ut aliquis homo eſt doctus.

3. *Indefinita* eſt, cujus ſubjectum eſt terminus communis ſine aliquo ſigno; ut homo eſt doctus. & in materiâ neceſſario verâ æquivalet univerſali affirmativæ; ut homo eſt animal. in materiâ, quam veram eſſe impoſſibile

eſt,

est, æquivalet universali negativæ; ut homo non est Arbor: aliàs æquivalet tantum particulari.

Quare ad veritatem indefinitæ Propositionis sufficit veritas unius particularis. Sic, si quis paciscatur cum operario, se pro operâ sua stipem soluturum, prout alii solvunt; aliqui autem solvant 8, alii 10, alii 12. si solvat 8, sufficit. Ordinariè tamen loquendo Indefinita Propositio supponit verum esse de pluribus.

Quæritur de hâc Propositione quanta sit, Bonum est homini peregrinari; respondetur, est Indefinita; idem enim est ac si dicatur aliquem hominem peregrinari bonum est; sit autem universalis dicendo, omni homini peregrinari bonum est; non vero dicendo, bonum est homini ubivis peregrinari: i. e. omnis peregrinatio est homini bona; vel, omne homini bonum est peregrinari, ità ut peregrinatio in se contineat omne bonum.

4. *Singularis* est, cujus subjectum est terminus singularis, ut Socrates, Petrus; vel terminus singularizatus. Ut, hic homo est doctus: Singularizatur terminus per Pronomen demonstrativum. Et quicquid ipsum includit, vel determinat subjectum ad unum certum; ut Adverbia, hic, nunc, ibi, &c. Et quodcunque nomen commune habet sibi adjunctum singulare, est singulare; ut, urbs Roma. Virgo Maria. facundus Cicero.

CAP.

C A P. VI.

De Consequentiis Terminorum, Propositionum, & Propositionis, sive oppositione, æquipollentiâ & conversione.

1. CONSEQUENTIÆ aliquæ sunt à Terminis simplicibus, i. e. posito vel sublato uno, ponitur vel aufertur alius. Ut, posito relativo datur etiam correlatum; positâ causâ ponitur effectus, & sublatâ tollitur; & similia, de quibus in Topicis agendum est. Aliæ sunt à Propositionibus pluribus, i. e. datis sive concessis aliquibus sequitur alia Propositio non data; & de his dicendum est in tractatu de Syllogismis. Aliæ vero sunt ab una propositione, adeo ut concessâ unâ, necesse est aliam inde sequi. hujusmodi autem Consequentiæ sumuntur vel ab Oppositione Propositionum, vel Æquipollentiâ, vel conversione; Quæ dicuntur esse Propositionum affectiones; quibus addi possunt Ampliatio & Restrictio; licet hæ magis propriè ad Suppositionem spectant.

Oppositio est Repugnantia duarum propositionum, idem habentium subjectum & prædicatum, in quantitate, qualitate vel utraque. Quadruplex est, vel quantitate solâ i. e. quando una propositio est Universalis alia particularis, diciturque oppositio subalterna; vel Qualitate solâ; idq; dupliciter, quando sc. propositio Universalis affirmativa opponitur Universali Negativæ, & dicitur Contraria; vel particularis affirmativa

particulari negativæ, diciturque subcontraria. vel quantitate & qualitate simul, i. e. quando una est Universalis alia particularis, una affirmativa alia Negativa, & dicitur Contradictoria. Ex hoc schemate facile intelliguntur.

Not. autem quod [A] stat pro Universali affirmativâ, [E] pro universali negativâ. [I] pro particulari affirmativâ, [O] pro particulari negativâ.

Asserit, A, negat, E, sed universaliter ambæ. Asserit, I, negat O, sed particulariter ambo.

De Oppositis Regulæ sunt.

1. Contraria possunt esse simul falsa non simul vera. quare licet arguere; Hæc propositio v. g. omnis homo est capax disciplinæ est ve-

ra, ergo ejus contraria sc: Nullus homo est capax disciplinæ, est falsa. non autem è contrario, hæc est falsa, ergo contraria est vera.

In necessario veris Universalis affirmativa est vera, in impossibilibus universalis negativa est vera. in contingentibus ambæ communiter falsæ.

2. Subcontrariæ possunt esse simul veræ non simul falsæ. quare sequitur. una earum est falsa ergo altera est vera. non autem è contrario, una est vera ergo altera falsa.

3. Si subalternans (Universalis) sit vera, subalternata (particularis) est vera. Si subalternata falsa, subalternans falsa.

4. Contradictoriarum semper una est vera altera falsa. quare in disputando, Opponens semper tenetur probare contradictoriam ejus propositionis quæ à respondente tenetur.

De Æquipollentia Propositionum.

Æquipollentia dicitur Æquivalentia duarum Propositionum oppositarum per adventum negationis. de quâ Regula est.

1o Præ contradic. 2o post contrar. 3o præ postque subaltern.

1. Id est Duo contradictoria fiunt æquipollentia si utrivis eorum præponas negationem. ut, Non-nullus homo est doctus æquivalet, Aliquis homo est doctus. Non aliquis homo est doctus æquivalet, Nullus homo est doctus. licet hæc locutio *Non aliquis* non sit usitata.

2. Duo contraria fiunt æquipollentia si subjecto postponas negationem; ut Nullus homo non est doctus æquivalet, Omnis homo est doctus. Omnis homo non est doctus æquiva-

 leret

leret etiam Nullus homo est doctus; sed non tenet. Nam ista propositio Omnis homo non est doctus æquivalet tantum huic, Aliquis homo non est doctus. quare Regula non tenet nisi in Negativo.

3. Duo subalterna sibi invicem æquivalent si & præponas & postponas Negationem. ut Non omnis homo non est doctus æquivalet huic, Aliquis homo est doctus. Sed Rarò utimur tot negationibus in eâdem propositione. & in vice [Nullus non] utimur [Solus]: adeo ut hæ propositiones eædem sunt, Nullus non homo est doctus, & Solus homo est doctus.

Reg. Ad æquipollentia valet consequentia, imo licet substituere unum æquipollens pro suo æquipollente.

De Conversione.

Conversio est positio subjecti in locum prædicati, & prædicati in locum subjecti, ita ut teneat consequentia ab una ad aliam. Regula est.

[1] EccE tIbI simp. [2] ArmIgErOs acc: [3] ArmA, BOnO con.

1. Universalis Negativa convertitur in Universalem negativam, & particularis affirmativa in particularem affirmativam, simpliciter, i.e. manente eadem qualitate & quantitate. ut

Nullus homo est doctus, convertitur sic. Nullum doctum est homo.

Nullus homo est in urbe. Nullum in urbe est homo.

Quidam homo est doctus, convertitur sic. Quoddam doctum est homo. Singularis affirmativa

tiva convertitur in particularem; Socrates est homo, ergo aliquis homo est Socrates: Et singularis Negativa in Universalem, ut Socrates non est albus, ergo nullum album est Socrates. licet arguere ab uno conversorum ad alterum. quare hæc consequentia est bona. Nulla bestia habens cornua habet dentes superiores, ergo Nulla bestia habens dentes superiores est cornuta. Aliquis homo est doctus, ergo aliquod doctum est homo.

2. Universalis affirmativa convertitur in particularem affirmativam (quæ dicitur conversio per accidens); & non in Universalem affirmativam. Non enim sequitur Omnis homo est Animal ergo Omne animal est homo, sed Aliquod animal est homo.

3. Universalis affirmativa convertitur in Universalem affirmativam, si termini finiti mutentur in infinitos (quæ dicitur conversio per contrapositionem), i. e. si addatur [non]; ut omnis Homo est animal, ergo omne non animal est Non homo. i. e. ergo quicquid non est animal non est etiam homo. Omne naturæ necessarium est facile parabile, & quod non est facile parabile non est necessarium.

4. Est etiam alia Conversio quando affirmativa. v. g. vel negativa convertitur in oppositum de subjecto opposito. ut 6. é. 1. Æquales anguli subtenduntur à lateribus æqualibus Trianguli, convertitur in hanc, Impossibile est æquales angulos subtendi ab inæqualibus lateribus.

In conversione, servandum est in verbo tempus præsens. non enim sequitur, Nullus indoctus fuit doctus, ergo nullus doctus fuit indoctus. nullus senex erit puer, ergo nullus puer erit senex.

nex. sed resolvenda est copula in verbum præsens & participium, ut nullus qui futurus est puer est senex. nullus qui habitus est doctus est indoctus.

Facile autem probantur harum conversionum consequentiæ. v. g. quod universalis Negativa convertitur in Universalem negativam. nam siquis dicat Nullum a est b. ergo nullum b est a esse falsum; tunc sequitur quod aliquod b est a. sunt enim contradictoria, nullum b est a & aliquod b est a. sumatur ergo illud b quod est a, & sit c. tunc sic potest argui. c est b. & c est a. ergo aliquod a est b. sed hæc propositio contradicit antecedenti, Nullum a est b. & sic duæ contradictoriæ essent simul veræ. quod est impossibile.

Sic quod Universalis affirmativa convertatur in particularem affirmativam probatur. Si non sit verum dicere omnis a est b, ergo aliquod b est a, tunc verum est ejus contradictorium, Nullum b est a. sed nullum b est a convertitur simpliciter in nullum a est b. ergo duæ contrariæ omne a est b, & nullum a est b erunt simul veræ; quod est impossibile. reliqua sunt manifesta.

LIB. III. PARS I.

CAP. I.

De Argumentatione & Syllogismo Categorico.

1. TErtia pars Logicæ est de *discursu* sive Ratiocinatione. quæ nihil aliud est quam ; Illatio unius propositionis (conclusionis) ex aliâ vel aliis (præmissis). si ex una dicitur *Enthymema*, si ex pluribus, *Syllogismus*. ad hanc autem illationem non sufficit, ut una cognoscatur post aliam ; nisi & cognitio unius causetur, sive fiat à cognitione alterius.

Notandum vero est, omnem Argumentationem fieri per syllogismum ; vel explicitum, vel implicitum. Oratores enim etsi plerunque Enthymemate utantur, non tamen ob aliam causam alteram propositionem omittunt, nisi quia eam satis notam esse arbitrantur. Enthymema etiam omne ad Syllogismum reducitur supplendo propositionem implicitam: quod facile fit, cum omnes termini dentur ; medius sc: semper ; & si minor terminus detur in antecedente, deficit major propositio ; si major terminus, minor.

2. Fundamentum omnis discursus sive syllogismi affirmativè concludentis, est hæc regula dicta *de omni* quam supra innuimus.

Quicquid prædicatur de prædicato, prædi-

catur etiam de ſubjecto i. e. Quicquid prædicatur de aliquo termino univerſaliter, prædicatur etiam de omni quod eſt iſte terminus, ſive de omnibus qui dicuntur eſſe iſte terminus.

Negative vero concludentis, hæc dicta Regula *de nullo*.

Quod negatur de prædicato, negatur etiam de ſubjecto. i. e. de omni quod eſt illud prædicatum. hoc ſchemate prior regula (quæ eſt principalior) manifeſte declaratur.



Tres ſc: ſunt termini B. C. D. è quibus (ſingulis bis ſumptis) fiunt tres propoſitiones; C eſt B. D eſt C. D eſt B.

C medium locum occupat, & dicitur *Medius* ſive Medium; bis ſumitur ante concluſionem, concluſionem autem non ingreditur.

B cum prædicetur in Majori propoſitione C eſt B, dicitur *major* Terminus, & in concluſione prædicatur de D.

D cum ſit ſubjectum in minori propoſitione, dicitur *minor* terminus; eſtque ſubjectum etiam in concluſione. ut D eſt B.

Et duo priores termini B & C debent eſſe Univerſales, quia dicuntur prædicari: tertius autẽ D, quia eſt ſubjectũ tantũ, poteſt eſſe ſingularis, & ſi ſit Univerſalis fit Syllogiſmus in *Barbara*, ſi ſingularis in *Darii*. Quare

Quare sunt in Syllogismo tres tantum propositiones: prima dicitur simpliciter Propositio, & *major*, quia constat è majoribus sive universalioribus terminis; secunda dicitur assumptio & *minor*; tertia *conclusio*.

3. Secundum dispositionem *medii* termini sunt tres figuræ Syllogismorum: de qua versus. Sub. præ. prima. bis præ Secunda. tertia bis sub. i. e. si medius terminus sit subjectum in majori, & prædicatum in minori propositione, qui est ordo maximè naturalis, dicitur *prima figura*. si prædicatum in utrâque dicitur secunda figura. si subjectum in utraque dicitur tertia figura. potest etiam esse prædicatum in majori & subjectum in minori, & hinc fieret quarta figura; sed cum transpositione propositionum reducatur ad primam, inutilis censetur.

4. Secundum quantitatem propositionum etiam sunt varii modi in qualibet figura; de quibus versus.

Barbara. Celarent. Darii. ferio. [*baralipton*
Celantes. dabitis. fapesmo, frisesomorum].
Cesare. Camestres. festino. Baroco. Darapti
Felapton. Disamis. Datisi. Bocardo. Ferison.

In quibus singulæ voces sunt trissyllabæ, & prima quidem syllaba correspondet majori propositioni, secunda minoris tertia conclusioni. & in qualibet syllabâ A significat Universalem affirmat. E univers. negat. I particul. aff. O part. negat. Quatuor primæ voces correspondent primæ figuræ, & concludunt directè, i.e. minor terminus est subjectum, & major prædicatum, in conclusione. 5 proximæ correspondent modis indirectè concludentibus in prima figurâ. i. e. quando major terminus est subjectum, & minor prædicatum, in conclusione;

sione; quæ est prædicatio indirecta. 4 proximæ voces correspondent 2ª figuræ; 6 reliquæ tertiæ.

5. Ex dictis apparet. 1° Nullum Syllogismum constare ex omnibus negativis. 2° nec particularibus. 3 conclusionem semper sequi debiliorem partem. i. e. si alterutra propositionum sit particularis vel negativa, talis erit etiam conclusio. 4° negativam non consequi è duabus affirmativis. 5° In prima figura conclusiones esse omnium generum; affirmativas sc: & negativas; universales & particulares. cum in secunda sint omnes negativæ, & in tertiâ particulares. 6° Majorem in primâ semper esse Universalem, & minorem affirmativam; in secundâ majorem esse Universalem; & in tertia minorem esse affirmativam.

6. Syllogismi primæ figuræ directe concludentes sunt omnium perfectissimi; & reliquorum perfecti tantum quia ad illos possunt reduci, & per eos probari. Primæ figuræ autem syllogismi sunt perfecti, quia nihil aliud sunt quam duæ illæ regulæ, *De omni* & *de nullo* expansæ, ut ita dicam, vel ad praxin applicatæ, v. g.

Bar- *Omne animal est substantia*
ba- *Omnis homo est animal*: *ergo*
ra. *Omnis homo est substantia.*

Nam quicquid prædicatur de Animali, prædicatur etiam de omni quod est animal; sive de omni animali i. e. omni sub animali contento. Sed homo est animal in minore propositione; sive, sub animali continetur: ergo, Substantia prædicatur de homine in conclusione. Idem dicendum est de Darii; nulla enim est differentia, nisi quia minor propositio est particularis.

Sic

Sic in Celarent syllogismi probantur per dictum de nullo.

Ce- *Nullum animal est lapis.*
la- *Omnis homo est animal: ergo*
rent. *Nullus homo est lapis.*

Quicquid negatur de animali (prædicato) negatur etiam de omni illo quod est animal (subjecto). sed lapis negatur de Animali, & animal affirmatur de homine: ergo lapis negatur de homine.

Idem dicendum est de ferio.

7. Nec dantur in primâ figurâ alii modi præter hos quatuor: nam ex quocunque alio syllogizandi modo sequitur aliquando conclusio universalis affirmativa vera: aliquando universalis negativa vera. sufficiat unum aut alterum exemplum.

Ca- *Omnis homo est animal.*
le- *Nullus equus est homo: ergo*
rent *Omnis equus est animal.*
Ca- *Omnis homo est animal.*
le- *Nullus lapis est homo: ergo*
rent *Nullus lapis est animal.*
Ce- *Nulla linea est scientia.*
le- *Nulla Medicina est linea: ergo*
rent *Omnis medicina est scientia.*
Ce- *Nulla linea est scientia.*
le- *Nulla unitas est linea: ergo*
rent. *Nulla unitas est scientia.*

Et hoc modo potest demonstrari nullum alium posse fieri Syllogismum in primâ figurâ præter prædictos quatuor.

Modi autem omnes reliquarum figurarum probantur reductione ad hos quatuor; nec immediate demonstrari possunt. licet probari potest inductione sive probatione in terminis

minis essentialibus & accidentalibus, & quod dicti modi sunt validi, & reliqui omnes invalidi.

Potest tamen assignari aliud fundamentum tertiæ figuræ, hæ sc: propositiones; Quæ conveniunt alicui tertio conveniunt inter se. ex qua probantur darapti, disamis, datisi: & Quorum unum convenit alteri, aliud veró non convenit, ea nec inter se conveniunt; sic probantur felapton, bocardo, ferison. cum autem convenientia non sit reciproca necesse est ut conclusio sit tantum particularis. Sed hæ duæ regulæ non probantur in Logicâ.

8. Ex dictis constat quam mirabile fuerit Syllogismorum inventum: ut sc: omnes arguendi & ratiocinandi modi ad tam paucos reducerentur; iisque in omnibus materiis sive terminorum generibus semper & inviolabiliter teneant: præter eos autem nullus omnino sit qui in omnibus semper verus habeatur. licet sint nonnullæ consequentiæ, quas materiales vocant, quæ in certâ quâdam materia veræ sint, in omnibus tamen terminis nullæ præter has. Et si qui sint Syllogismi, qui prædictas regulas sequi non videntur, non sunt tamen veri, nisi quatenus iis conformes sunt, & ad eas reduci possunt; ut Sacræ literæ docent reges esse honorandos, Carolus secundus autem est Rex. Reducitur Omnes reges sunt honorandi. Carolus secundus est Rex. major prob. ex sacris literis. Bonus pastor paratus est ponere vitam pro ovibus. hodie autem pauci pastores parati sunt ponere vitam pro ovibus, ergo hodie pauci pastores sunt boni. reducitur sic. Omnes boni pastores parati sunt ponere vitas &c. aliqui hodierni pastores non sunt parati

parati ponere vitas &c. ergo. Sic: Qui non sunt amici Dei non sunt beati. Divites non sunt amici Dei. ergo non sunt beati. Qui videtur Syllogismus verus, constans tamen ex omnibus negativis. Reducitur sic; fe: Nulli non amici Dei sunt beati, ri. aliqui divites sunt non amici Dei. ergo aliqui divites non sunt beati. Talis est illa. Quod non habet partes non potest perire dissolutione partium. Anima humana non habet partes. ergo. reducitur sic. Nullum non habens partes potest perire. anima humana est non habens partes. ergo.

Quocirca operæprecium est, ut unusquisque diligenter instituatur, & solerter se exerceat, in artificio Syllogismorum categoricorum; & in iis qui rite in modo & figurâ concludant; cum facilis sit in aliis lapsus, & difficilis reparatio.

CAP. II.

De Syllogismo hypothetico.

1. HActenus de Syllogismis ex propositionibus Categoricis constantibus; sequitur de iis, qui constant ex hypotheticis. aliquando autem sed rarius utræque propositiones sunt hypotheticæ; frequentius una sola, & plerunque major. & harum quædam sunt conditionales, quædam disjunctivæ, quædam copulativæ &c. quarum omnium quædam affirmativæ, quædam negativæ.

2. Conditionales sunt omnium principales, & enunciantur per *si*. & in his: 1° Posito antecedente ponitur consequens. ut si vis esse sanus, vive continens; sed tu vis esse sanus. ergo. 2° ex negatione consequentis sequitur negatio antecedentis. Tu non vives continens, ergo non vis esse sanus. Electorum si quisquam perit fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Aug. Vitiosa autem est consequentia, Si ex illatione consequentis inferatur antecedens. ut, si Sinenses sint Mahometani, sunt infideles, sed sunt infideles, ergo sunt Mahometani. & si ex negatione antecedentis infertur negatio consequentis. si Sinenses sunt Mahometani sunt infideles, sed non sunt Mahometani. ergo nec Infideles.

Omnes hujusmodi Argumentationes facillimè reducuntur ad Categoricas: ut Quicunque vult esse sanus debet vivere continens. Tu vis esse sanus esse. ergo. & in veritate istius universalis consistit veritas hypotheticæ. Ubi vero

ro consequentia est remotior, i. e. ubi sunt quatuor termini, reductio non potest fieri ad unicum syllogismum, sed opus est pluribus. Ut, si Justificatio sit per legem, Christus frustrà mortuus est. Sic reducitur. ce. Quod obtinetur per mortem Christi non obtinetur per legem. la. sed Justificatio obtinetur per mortem Christi. ergo. prob. minor. Finis mortis Christi obtinetur per mortem Christi (i.e. Christus non est mortuus frustra); sed Justificatio est finis mortis Christi. ergo.

3. Disjunctivæ sunt, quibus major propositio est Disjunctiva: & tunc vel negatur unum membrum ut affirmetur alterum; ut qui Cæsarem occiderant, erant vel Parricidæ vel Defensores libertatis; at non erant parricidæ, ergo: vel affirmatur unum ut negetur alterum. Ut, sed erant parricidæ. ergo non defensores libertatis. ut autem bene hoc modo concludatur, necesse est ut disjunctio sit inter accuratè divisa. facile autem reducuntur hujusmodi syllogismi ad Categoricos.

4. Syllogismus copulativus, cujus major est copulativa negativa; cujus uno membro in minori affirmato, alterum negatur. ut Nemo simul amat Deum & pecuniam; avarus amat pecuniam, ergo non Deum. alio modo non sequitur. & reductio est facilis.

5. Plures autem sunt modi syllogizandi de iis propositionibus, quas sensu diximus esse hypotheticas, v.g. de exponibilibus, modalibus &c. Sed quia magna pars istiusmodi syllogismorum sequitur regulas prædictas; reliqui vero sunt admodum difficiles, nec multum usitati, & ab aliis accuratissimè tractantur, eos hic omittere satius duximus.

CAP. III.

De aliis argumentandi generibus.

1. SOrites est acervus sive cumulus propositionum à se invicem dependentium, unamque conclusionem inferentium. Ut, Initium sapientiæ est disciplinæ concupiscentia. cura disciplinæ est dilectio. dilectio est custodia legum Dei. custoditio legum consummatio incorruptionis est. incorruptio autem facit esse proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. hæc argumentatio nihil aliud est quam plures syllogismi imperfecti.

2. *Dilemma* est Argumentatio in quâ propositis duobus oppositis, utrivis assentiatur, sequitur conclusio. ut si homo moriatur, tum vel quando vivit, vel quando non vivit. non quando vivit, ut patet; nec quando non vivit, tunc enim est mortuus. mortuus autem non moritur. ergo.

Sic dilemmate aggressus est Magister Rhetorices discipulum causas perorare detrectantem, ne stipendium pactum solveret. Hanc actionem ego vincam aut non vincam; si vincam, obligatus es à Judicibus mihi stipendium solvere. si non vincam, es obligatus pacto stipendium solvere, quo tempore primam actionem viceris. Quod dilemma alio diluit discipulus, si Magister meus vicerit, à solutione pactis liberor; si non vicerit, Judices eo ipso me à solutione liberant. Hæc argumentatio est admodum ingeniosa, plerunque tamen retorqueri

torqueri poteſt. Sunt autem omnes ſyllogiſmi hypothetici : & in iis maxime cavendum eſt, ut membra vere, & plene opponantur; & quod conſequentiæ ſint neceſſariæ. Quomodo peccat illud Dilemma, ſi uxorem duxeris formoſam, habebis communem; ſi deformem, odioſam. non ſequitur, 1° quia nec omnis mulier eſt adeo formoſa nec deformis, 2° nec ſequitur ſi ſit formoſa fore communem, nec odioſam ſi deformem. peccat autem prior argumentatio; quia ſupponit omne non vivens eſſe mortuum; quod falſum eſt; moriens enim non vivit æque ac mortuus: ſupponit ſc: privative tantum oppoſita æquipollere contradictoriis.

3. Syllogiſmus *Expoſitorius* eſt cujus medium eſt terminus ſingularis; conſtatque ex præmiſſis ſingularibus, è quibus infertur concluſio vel ſingularis, vel aliquando particularis, nunquam univerſalis: ut Socrates eſt doctus, Socrates eſt Athenienſis, ergo aliquis Athenienſis eſt doctus. Fit melius in tertiâ figurâ, quia proprium eſt termini ſingularis ut ſit ſubjectum, non prædicatum in propoſitione; & ſervari debent leges aliorum ſyllogiſmorum.

4. Inductio eſt cum ex particularibus ſufficienter enumeratis infertur Univerſale; ut Socrates, Plato, hic, ille, iſte, & ſic de cæteris, ſunt capaces diſciplinæ. ergo omnis homo eſt capax diſciplinæ. Cavendum autem eſt ne peccetur in antecedente, i. e. ne inferatur concluſio ſine ſufficienti enumeratione, quæ cauſa extitit plurimorum errorum in Philoſophiâ naturali, Et quam merito taxat Verulamius. Inductio, inquit, quæ ad inventionem & demonſtrationem ſcientiarum & arti-

um erit utilis, naturam separare debet per rejectiones & exclusiones debitas; ac deinde post negativas tot quot sufficiunt, super affirmativas concludere. Recte quidem hæc, ut caute fiat inductio; cui instituendæ in rebus difficilibus & abstrusis multo opus est & diligenti examine; sed cum hoc præstitum est, nihil aliud fit quam Inductio, de quâ logici tractant, & cujus virtute similes omnes ratiocinationes concludunt. perperam ergo adversus hanc disputat.

Libri

Libri Tertii Logices, Pars Secunda.

Cap. I.

De Cognitione.



VT meliùs & distinctiùs de Assensu ejusque speciebus statuamus, operæ-pretium est ab ipsis cognitionis & assensus rudimentis & principiis eum deducere: Et cognitionem duplicem esse notandum est, Apprehensivam & Adhæsivam.

1. Notitia *Apprehensiva* est Actus Intellectus vel sensùs, quo aliquid complexum vel incomplexum cogitamus absque judicio veri vel falsi. i. e. quo alicujus Ideam sive Conceptum habemus, non judicando, an sit verum vel falsum. non est enim idem habere perfectam ideam alicujus objecti, & credere illud esse verum; imò possumus nobis formare ideam ejus, quod nunquam fuit nec erit; sicut capio, quid velint per Alkahest, per lapidem Philosophorum, per herbam Boram, & similia, quæ tamen non magis existere credam quàm Chimæram, aut Blictri. Notandum etiam est animam frequentèr Ideis uti vice & loco objectorum, imò eas esse ipsa objecta arbitrari; ut in somniis objecta præsentia esse arbitramur, quæ longè tamen absunt.

Notitia *Judicativa* sive Adhæsiva est actus In-

tellectus, quo assentit vel dissentit alicui Propositioni. i. e. credit eam esse veram vel falsam. præsupponit Apprehensivam, sed nec statim eam sequitur; non enim statim apprehenso assentimus vel dissentimus, sed aliquando suspendimus vel dubitamus; ut hujusmodi Propositionibus, Datâ qualibet vi quodvis pondus moveri posse; numerum arenarum iniri posse; ecquis est, qui assentit, donec probatas viderit?

2. Cognitio *Apprehensiva* fit per sensus & Intellectum: *sensatio* fit per receptionem similitudinis sive Ideæ objecti in sensorium. eo modo scilicet, quo recipitur species in speculum; & hæc est Passio. Sed præter hanc est aliqua etiam Actio ipsius facultatis in speciem receptam: cujus, sive sit alterius Ideæ fabricatio, vel facultatis ad objectum strictior quædam unio, vel actio sui generis, nullique naturali operationi similis (quod verisimilius est), magnos certè effectus percipimus; eò quòd species in memoria diu conservatas, & exinde habitus in animâ formatos, motusque omnes externos & actiones inde ortos, cernimus. sensatio omnis est singularium, præsentium, & corporeorum; Et horum aliqua (quæ scilicet sunt alicujus sensus objecta propria) per unam Ideam cognoscuntur, alia per plures. Nam etsi color per unum sensum, coloratum tamen (sitne uva v. g. vera vel picta) per plures sensus & plures Ideas percipitur. Et quod per plures, melius. i. e. certius; & plus ejus cognoscitur. Et hæc est cognitio, quam experimentalem sive experientiam vocant; sine quâ præviâ in rebus maximè dubiis & obscuris judicium fieri non debet. Adæquata enim & perfecta

perfecta notitia objecti non habetur nisi perceptis omnibus Ideis, per quas sensuum alicui repræsentatur; sic argentum vivum perfectè non cognoscitur, nisi apprehensis colore, sapore, pondere, consistentiâ, solutionibus, coagulationibus, & similibus. Sensus autem externi apprehendunt tantum objectum per Ideas, ipsas verò Ideas non considerant; sensus verò interni aliquo modo dijudicant. primò enim diversorum sensuum objecta & Ideas conferunt; ut Brutum cognoscit hanc esse herbam sibi commodam & salubrem, conferendo Ideam, quam videt, cum ejusdem aliâ ideâ, quam olfacit, v. g. vel gustat; adeò ut inde format quasi plures propositiones. v. g. Eadem est herba, quam video, olfacio, & gusto; hæc eadem herba est olfactui jucunda, & esui grata &c. 2° Ex frequenti repetitione & incursu ejusdem Ideæ in eundem sensum dijudicat idem esse objectum. Ut Canis novit herum suum, aliosque quibus assuetus est; ac si propositiones hujusmodi efficeret: hic est ille, quem heri vidi, & nudius-tertiùs, qui me nutrit & fovet, huic obtemperandum & obsequendum est. 3° Non assentiunt antequam omnes istius objecti Ideas per quemvis sensum cognoscibiles spectarunt. Sic non agnoscit hunc sibi cognitum, nisi postquam benè & vultum motusque perspexerit, odorem senserit, vocemque audierit; unde sic videtur cogitare: unum objectum est alteri simile, non est temerè assentiendum &c. Et ex his formantur hujusmodi Propositiones, quibus omne cognoscens assentire videtur; Hoc est hoc, & non aliud. hic non est alibi. hoc est unum. hoc est simile illi; non tamen ipsum. hoc est idem, quod fuit heri. &c.

3. Cognitio

3. Cognitio *Intellectus* apprehensiva supponit sensationem, sed non eam tantùm, quâ nituntur irrationalia, sed & aliam, qua ista vel omnino, vel maximâ ex parte destituuntur; Cognoscit sc: per loquelam vel scripturam, i. e. auditis tali vel tali voce, vel visis talibus literis, aliud concipit, quod nullo modo simile est illi voci vel signo; sed cui repræsentando artificialitèr & arbitrarie imponuntur. vocem dico non sonum; quia etiamsi bestiæ sonos concipiunt, non tamen omnino, aut saltem imperfecte voces. Et quidem alius modus cognitionis per sensus est valde angustus respectu hujus, per quem cognoscimus quicquid alius cognoscit; Et per quem Ideas, quas quis diu in animâ coacervaverit & reposuerit, alteri brevi tempore communicat. Institutione autem & usu devenimus in cognitionem significationis vocabulorum, i. e. in apprehensionem eorum, quæ loquens per loquelam declarare intendit. Et multorum quidem, quæ sensibus non occurrunt, ut Secretorum animi sensorum, absentium, spiritualium &c.

Cognoscens per loquelam hæc & hujusmodi supponit, se audire tales voces; voces illas significare prout ipse intellexerit, nec docentem voluisse decipere. similes Ideas esse, sive immediatè per sensus, sive per loquelam in Intellectum recipiantur. Vocibus utendum esse in usitata significatione. Omnes eâdem linguâ loquentes eosdem conceptus per easdem voces in animo formare. Aliquas linguas aliis ornatius, & forte distinctius, omnes tamen sufficienter, animi conceptus exprimere. Nomina in diversis linguis eadem significantia esse synonyma. & similia.

4. Objecta

4. Objecta autem Intellectus, vel nude & prout repræsentantur à sensibus, accipit, & intuetur; eo modo, quo visus objectum suum; hoc modo non cognoscuntur nisi ea, quorum species in Intellectum recipiuntur, & actus ipsius voluntatis, intellectus, vel affectuum; scio enim intuitivè me intelligere, irasci &c. & ab hac cognitione procedit omnis cognitio experimentalis, & intellectio singularium: Vel ex iis alios conceptus format; contemplando sc: aliquod vel aliqua, non autem omnia, alicujus objecti; v. g. considerando unum objectum esse alteri aliquo modo simile, non considerato, in quo sunt dissimilia: inde abstrahit conceptum & ideam unam utrisque communem; vel unum objectum è diversis partibus essentialibus componi; inde alios conceptus format; quorum aliqui desumuntur ab una parte, v. g. materiâ, eique correspondent, alii vero ab altera parte, veluti forma, & ei correspondent; sic essentiam consideramus non considerata existentia &c. Et hujusmodi abstractione fiunt universalia, Genera, Species & Differentiæ; Conceptus denique omnes, quos formales dicunt, item conceptus confusi & distincti. Et per eam devenimus in cognitionem multorum, quæ intuitivè cognoscere non possumus; ut Complexorum, spiritualium, infiniti, maximi & minimi, omnium denique invisibilium & insensibilium. Verum quidem est hanc cognitionem in Intuitiva alterâ fundari, & eam præsupponere, & exinde Ideas recipere, quas comparando, abstrahendo, variisque modis contemplando multa alia reperit, quæ illis Ideis repræsentari, vel in iis nisi confuse contineri, non videbantur. hinc ortum ducunt

ducunt scientiæ, Artesq; omnes, quibus per experientiam inveniendis & perficiendis multæ ætates non sufficerent. Et hic est modus noster cognoscendi in hoc, quo sumus, statu; alium vero speramus, in quo etiam ea, quæ nunc non nisi laboriosa abstractione apprehendimus, clare & manifeste intuebimur.

Abstractio autem, cum sit Actio Intellectus naturalis, supponit omnes homines eodem modo abstrahere, & per abstractionem cognoscere, nec opus esse ut abstractiones recte fieri probentur; Abstractionem non esse negationem; Abstracta, licet per intellectus operationem fiant, significari tamen per voces, quæ in propositiones formantur &c. acsi res ipsas immediate significarent.

5. E prædictis autem sequi videntur hæ & hujusmodi propositiones originem assensus & certitudinis nostri spectantes. Quod una cum loquela notitiam rerum, incipiendo à rebus visibilibus & familiaribus, paulatim hausimus. Quod generaliter in omnibus notionibus omnes linguæ, & gentes, & proinde genus humanum, conveniunt. Quod nulla adhuc ratione vel experientiâ causa ulla apparuit, quare vocum significatio vel modus significandi mutaretur. Quod ideo certum est res ita se habere ut loquelâ exprimuntur; & proinde in docendo vocibus usitatis uti debemus. Quod vir prudens non dubitat de iis, quæ ab omnibus creduntur, vel quibus à nullis aut paucis contradicitur; nam cum omnes animæ sunt æquales, magna est stultitia seipsum omnibus vel prudentioribus præferre. Quod quæ ab omnibus creduntur naturaliter esse vera supponi debent. Quod vim faciunt na-

turæ

turæ & intellectui suo, qui diversum ab omnibus aliis credere laborant vel prætendunt. Quod nonnulli à nativitate sunt, ut corpore mutili, ita judicio non sani. alii etiam sunt, qui vitiis vel passionibus obnoxii rectè judicandi potestatem sibi abrogarunt. quare standum est judicio bene dispositorum, & ratione, prout oportet, utentium.

CAP. II.

De Assensu.

1. E Conceptuum sive Idearum tum intuitivè tum abstractivè cognitarum ad-invicem collatione naturalitèr oriuntur Affirmationes & Negationes; dum scilicèt dicitur hæc vel hujus Idea est, vel non est, illius vel illa; agit, vel non agit in illam; est similis, vel dissimilis illi. Cùm autem hujusmodi affirmata vel negata credimus esse vera, assentire dicimur; dissentire, cum falsa. Quare qui assentit alicui Propositioni, contradictoriæ ejus dissentit; i.e. qui credit aliquam Propositionem esse veram, ejus oppositam credit esse falsam. Qui tamen non assentit alicui Propositioni, non statim assentit oppositæ; potest enim assensum suspendere, sive dubitare; ut num Angulus factus à tangente & circulo sit minor omnibus rectilineis. & proinde aliud est non credere tali propositioni, & credere eam esse falsam.

2. Terminos sive Ideas ità conjungi in Propositione nonnunquam contingit, ut iis statim assentiamus sine prævià Argumentatione; Et

tales Propositiones dicuntur per se notæ: quibus sc: tanta inest ex ipsis terminis evidentia, ut cognitis perfectè eorum significatis statim assentimur. Sed paucæ sunt hujusmodi Propositiones; & licèt ad Assensum necessariò requiritur notitia Terminorum perfecta, raro tamen ei sufficit; sed ordinariè requiruntur Argumentatio & probatio. ordinariè dico, quia reperiuntur permulti imperiti rationis æstimatores, qui assentiunt Propositioni, quamprimùm ipsam se apprehendisse concipiunt. Hujusmodi homines creduli & temerarii etiam falsò assentientes, se tamen certos credunt, & errori æquè firmitèr ac veritati adhærent. Quare omnia Media sunt examinanda, omnia Argumenta ponderanda, ut quis ab errore servari vel liberari possit. Et Prudentis est cautè & magna cum deliberatione fidem habere: ab omnibus etiam passionibus & præjudiciis animum defæcare; quantâ etiam poterit diligentiâ argumenta exquirere; & demum secundùm probata judicium ferre. Cùmque cognoscendi facultatibus, sensibus sc: externis & internis, & intellectu, variisque probandi mediis nos instruxerit optimus Parens, uni κριτηρίῳ fidendum non est; sed omnibus auxiliis utendum. Singulorum verò informatione adhibitâ, mens ipsa æqua & indifferens per se naturalitèr judicat; eique propositioni assentit, quæ maximam habet evidentiam vel probabilitatem. i. e. cùm omnia ad assentiendum requisita poni viderit.

3. Regulæ autem, secundum quas naturaliter assentimus, hujusmodi sunt. 1° evidentibus statim & absque deliberatione assentimus. Evidentia dicuntur, quæ constant ex terminis

iisdem,

iisdem, synonimis, reciprocis, significantibus res in sensum vel intellectum per se cadentes, (sive propositiones per se notæ), quibus ab ineunte ætate assueti sumus, quas sæpe experti sumus, quibus omnes fidem habere cernimus.

2. E duabus verisimilibus verisimiliori pro suo gradu assentimus. verisimilius autem est, cui minus occurrit in contrarium. quare ubi minima in contrarium est probabilitas, perfecta producitur certitudo; qualis fit per Demonstrationem. cui tanquam minor gradus succedit certitudo, quam *Moralem* vocant: qualis scilicet prudentibus omnibus vel pluribus pro vero & certo habetur. Quicquid acciderit, si nihil se offerat probabilitati illi contrarium, eo utetur sapiens, inquit Cicero.

3. Minus probabili assentire non possumus, i. e. ei quæ minus probabile videtur. Est quidem in potestate nostra (indirecte sc.) utrilibet probabilium assentire. potest enim voluntas vel affectus intellectum ita movere, ut omissa consideratione rationum pro unâ parte, rationes adversas tantum perpendat. Sed intellectus bene dispositus non assentit ei, quod unus vir doctus & probus, etiam post diligentem examinationem teneat, adversus omnium, vel plurimorum, æque doctorum, & proborum, & diligentium determinationem.

4. De æque probabilibus (si talia possint esse) assensum (licet alterutri licite & sine peccato dare possumus) suspendimus, & dubitamus. quare dubium non est, quod aliter potest se habere; sed cui astipulantur rationes æque validæ, ut aliter se habeat. & bene se compatiuntur; certus sum hoc ita se habere; & credo possibile esse ut aliter se habeat: sed

non. Certus sum ita se rem habere, & dubito num ita se habeat. Dubium enim opponitur certo, ut vero falsum; & evidenti obscurum. potest autem alicui esse certum quod alteri est dubium.

5. Opinio est assensus alicui propositioni cum formidine, ita ut contradictoria ejus aliquo modo videatur probabilis, non possibilis tantum: Vel ita saltem ut rationes asserentes nos convincant. dubitatio autem actualis oritur; vel cum non clare satis apprehenduntur Termini: vel cum criterion criterio, vel medium medio opponitur. ubi autem non est talis oppositio fit certitudinis aliquis saltem gradus. ascendimus enim à mera cognitione, sive assensus omni suspensione, per varios dubitandi & firmitudinis gradus ad supremum; qui si non certitudo infallibilis dicatur, nescio quid per illam vocem significatur.

Et de *certitudine* Notandum est; aliam esse supranaturalem, cum sc: spiritu Dei in rebus fidei sanctissimæ dirigimur; aliam præternaturalem, quæ ab intellectu male disposito producitur; aliam imaginariam, contra quam disputant Sceptici, quæ nullam admittit in contrarium argumentationem. v. g. dicunt nos non posse esse certos alicujus rei, quam vigilantes agimus vel sentimus, quia in somnis ejusmodi res sæpe appareant. Universali hominum testimonio non esse credendum, quia possibile est omnes homines fallere & falli. nihil esse certum, quia unicum non datur veritatis criterium &c. alia denique est certitudo realis & naturalis, qualem sc: rerum natura fert & postulat; i. e. qualis est nobis in hâc vitâ & statu necessaria, apta, & sufficiens ad obtinen-

dum

dum finem tum naturalem tum ſupranaturalem, cui creati ſumus: prout expedit creaturæ rationali præmii & pœnæ capaci. Natura non abundat in ſuperfluis; nec neceſſe eſt ut infallibili aliquo criterio nos ditaret, cum libertati noſtræ conſuluit. ſufficit quod diligentiâ noſtrâ veritatem aſſequi poſſumus; quod facultates habemus in objecta ſua naturaliter propenſas. Sed de fundamentis aſſenſûs infra dicendi locus eſt.

6. Probationes ſive cauſæ aſſentiendi ſumuntur.

1° a Senſibus, cujus repetitæ actiones experientiam producunt. & quo plures iſtiuſmodi actiones, eo firmior eſt aſſenſus: plurimis autem opus eſt, & multâ cautione, ut inde fiat univerſalis aliqua propoſitio; & ſenſibus, ſecundum regulas operandi naturales nos informantibus credatur.

2° a Teſtimonio, Aſſenſus iſte dicitur fides. de qua infra.

3° a Ratione; & hujuſmodi probatio eſt,

1. Evidens, quæ producit ſcientiam per Demonſtrationem.

2. Dubia, producens Opinionem per Syllogiſmum Topicum.

3. Falſa, producens errorem per fallacias.

Sunt autem aliquæ propoſitiones quæ pluribus mediis probantur, ſenſu ſc: teſtimonio, & ratione: ut pleuritidem ſanguinis miſſione curari. hoc modo credimus nos eſſe ſanos, &c. & quo plura ſunt media firmiùs ei adhæremus.

CAP. III.

De Demonstratione.

1. NOtitia *evidens* est assensus verus sine formidine alicui propositioni, à principiis intellectum necessitantibus causatus; adeo ut non sit possibile naturaliter eum non assentire, aut in assentiendo decipi. causatur autem, 1° à notitiâ intuitivâ vel abstractivâ terminorum; ut assensus principiis primis, qui ex solâ apprehensione terminorum producitur. 2° à connexione vel illatione à principiis certis indemonstrabilibus. 3° à demonstratis propositionibus aliam conclusionem directe & logicé, hoc est per *Demonstrationem*, inferentibus.

2. Est autem *Demonstratio* Argumentatio constans ex præmissis à ratione certis & necessario veris facientibus sciri conclusionem. Experientiâ quidem & Testimonium nos certos facere possunt; sed scimus tantum ratione inducti; quæ præter certitudinem producit etiam evidentiam. Et est conclusionis, quam antea non *scivimus*, licet ei forte assensum præbuimus. Et quod unus scit, alius potest credere tantum, alius opinari: ut Solem esse terrâ majorem. Et præmissæ debent esse notiores & evidentiores conclusione. Et quicunque ex demonstratione certus est, est infallibiliter certus; & scit se esse ita certum. conclusio autem dicitur *objectum*, subjectum vero conclusionis *subjectum* scientiæ dicitur.

3. Præmissæ vero in demonstratione sunt.

1. Definitio-

1 Definitiones. 2 Axiomata. five communes notiones. 3 Poſtulata. 4 Et quæ ab his deducuntur; licet horum quæ per plura media, non ſunt æque evidentia ac ea quæ per pauciora. Hiſce etiam addi poſſunt lemmata, quæ ut probata ſupponuntur; cum tamen non niſi ſeorſim & extra ordinem probentur.

Definitio, Axiomata, & Poſtulata dicuntur Principia, quia cum ad ea deventum eſt ulterius probare non eſt neceſſe; licet forte per alia probari poſſunt. & proinde Euclides definitiones & axiomata ponit, quorum pleraque Patritius probare nititur. Principia autem ſunt, vel ſimpliciter prima, vel prima in ſuo genere. ſimpliciter prima, quæ omnibus vel pluribus ſcientiis ſubſternuntur. qualia ſunt, Axiomata five Propoſitiones Univerſaliſſimæ: & Regulæ artis, maximè ratiocinandi, quæ axiomatum inſtar habentur. Prima autem in ſuo genere ſunt, quæ in ſingulis ſcientiis pro principiis ſupponuntur, nec in iis probantur. Sic Geometria, Arithmetica &c. habent ſua principia: in Juriſprudentiâ leges Naturæ ſunt Principia. Et in Religione noſtra ſanctiſſima principium eſt Scripturam ſacram eſſe verbum Dei. In ſcientiis vero ſubalternis, quod eſt concluſio in ſubalternante, five generaliori, poteſt eſſe principium in ſubalternata, five Inferiori; ut aliarum Mathematicarum principia probantur in Geometria. Et Phyſica à Metaphyſica principia ſua recipit. Principia autem ſcientiæ Univerſalioris ſunt credibiliora. Nec in principiis datur proceſſus in infinitum.

4. De definitione præſupponimus quæ in lib. 1º. dicta ſunt. Debere nimirum definitio-

nes esse evidenter cognitas. i. e. tales; quæ præexistentes in anima cognitiones sive conceptus clare & distincte describant. quare necesse est, ut

Definitio (scientifica sc: & perfecta) non sit impossibilis, vel non entis; qualis est, Duæ rectæ lineæ spatium comprehendentes dicuntur figurales.

Nec rei possibilis & veræ sed nobis ignotæ, aut dubiæ, donec nobis manifestetur. sic non utendum est termino, Sectio lineæ secundum extremam & mediam rationem, donec definiatur quid sit, & demonstretur esse possibilis.

Ex defectu definiendi procedunt omnes fere logomachiæ, & inde multæ acriter disputatæ controversiæ. nota est illa Sancti Hieron: de hypostasi & persona.

Definitio termini usitatata servetur donec vitium in eâ manifestum deprehendatur. Robur enim & certitudinem ex usu sortitur, eo modo quo voces significationem suam.

5. *Axiomata* sunt Universæ quædam Propositiones per se notæ, quibus in scientiis ad demonstrandum utimur, ut Totum est majus suâ parte. appellantur etiam Communes notiones; & ab aliquibus dicuntur esse à naturâ ipsâ nobis inditæ absque inductione, vel aliâ probatione qualicunque. Qui vero dicunt Animam esse tanquam rasam tabulam, asserunt eas dici *communes* quia adeo communiter & frequenti in usu sunt ut intellectui factæ sunt familiares, & ab omnibus sine controversiâ receptæ. sed & evidentiam pleræque ab ipsis terminis & eorum definitione sortiuntur. sic qui novit quid significetur per [Totum] & quid per [partes], absque ulla dubitatione credit

dit Totum esse majus suâ parte. Imo & aliquæ ex ipsis cognitionis principiis oriuntur. Nam cum quis videt v. g. hominem, & videt equum, novit conceptum unius non esse conceptum alterius. equum sc: non esse hominem. & unumquodque esse ipsum & non aliud.

Hujusmodi Axiomata in unaquâque scientiâ plurima sunt; & quo Universalior est scientia, eo certiora sunt Axiomata.

Ad Axiomata reducuntur Regulæ artis; ejusdem enim prorsus sunt authoritatis ac Axiomata in scientiis; nec aliter fere differunt quam Problema & Theorema. Quales sunt in Logica Regulæ arguendi, in Jurisprudentia judicandi. hujusmodi etiam sunt operationes, v. g. Multiplicatio & divisio, in Arithmeticâ; è quibus oriuntur aliquot propositiones in Euclidis secundo.

Certitudo autem Regularum dependet in aliquibus ab experientiâ; in aliis (ut in Logicâ) ab ipso intellectu proprias operationes, (cognitionem sc: & assensum) modumque in iis usitatum & naturalem considerante.

A Regulis autem Universalioribus certius argumentamur.

Et in Artibus Regulæ sunt Universaliores quam in Prudentiis; hæ enim exceptionem sæpius patiuntur.

6. *Postulata* sunt, quæ, etsi non sint adeo manifesta & Universalia ut Axiomata; supponuntur tamen adeo clara ut nullus eis assensum deneget.

Nihil autem valet suppositio nisi ab Adversario concedatur.

Et qui supponit aliquam Propositionem supponit etiam omnes ei æquipollentes.

7. Duobus

7. Duobus modis vero arguitur. 1° Affirmativè, cum sc: probatur rem ita se habere, sive conclusionem talem esse veram. 2° Negative, cum probatur contradictoriam ejus esse falsam. hic modus imperfectior est, nec quaesitum probat nisi ex consequenti. Nititur enim hic Regula, Contradictoriarum propositionum una est vera, alia falsa. Probant autem Contradictoriam esse falsam; quia dato quod sit vera, sequeretur aliquod absurdum. Et si istud absurdum contradicat alicui principio, istiusmodi Argumentatio dicitur Demonstratio. Ejusmodi vero sunt plurimae apud Mathematicos, praesertim Euclidem; quas utpote minus artificiales reformare nixus est doctissimus Borellius in Euclide Restituto.

CAP.

Cap. IV.

De Argumentis Probabilibus sive Topicis.

1. ARgumenta *Probabilia* sunt, quæ è quibusdam locis sive sedibus petita opinari nos faciunt. *Loci* dicuntur, unde argumenta sive probationes sumuntur; alibi quidem inventioni, in logica autem judicio magis inserviunt. In quolibet loco sunt quædam propositiones sive *Maximæ*, quæ frequentissimè sunt Majores propositiones in syllogismis Topicis.

Pro ratione & dignitate *loci* & *Maximæ*, in quibus fundantur, argumenta firmiorem vel debiliorem assensum producunt; & per accidens aliquando assensum certum: cum sc: è pluribus, iisque dignioribus locis multum pro, parum vero aut nihil contra, afferri potest.

Loci ii sunt digniores, qui sunt viciniores Definitionibus, & axiomatibus. quorum sc: media sunt propria passio, causæ, effectus & similia. Maximæ vero sunt digniores, quarum pauciores sunt exceptiones vel limitationes.

De quibusdam horum locorum, v. g. etymologia, notatione nominis, conjugatis &c. in Grammaticâ tractatur. de aliis in Metaphysica, ut de causâ & effectu, toto & partibus. &c. De aliis ut de genere, specie, & similibus, prius dictum est in logica. omnes vero describere admodum difficile est, diligentemque satis operam collocavit *Daniel Stablius*. principaliores tantum delibabimus.

2. De

2. De *Notatione Nominis.* Primus hic est locus, quia maximè obvius, & familiaris; & sumitur ab Etymologiâ, impositione, propriâ significatione, usu, anolagiâ Nominis. Sed parùm valet, eò quòd voces ad libitum imponuntur, & à Significatione primâ & propriâ sæpiùs mutari solent. Sed nec Proprietas verborum sumitur ex Etymologiâ, aut hujus vel illius usu, intentione, aut opinione, sed communi usu & consuetudine; unde hujusmodi Regulæ.

In dubio propriæ verborum significationi standum est.

Cum propria significatio sit impossibilis vel absurda, aut inconsistens cum materiâ tractandâ, argumentari licet à significatione impropriâ.

Ab Etymologiâ arguitur potiùs negativè quàm affirmativè; ut non tuetur, ergo non est Tutor; Jus non dicit, ergo non est Judex: De meo tuum non est, ergo non est mutui obligatio.

Non autem sequitur affirmativè, Testatio mentis est, ergo est Testamentum.

3. De *Conjugatis.* Affinis Notationi Nominis est locus à Conjugatis, quæ sunt voces Denominativæ; sive quæ denominantur una ab aliâ, sive, sunt Concretum & Abstractum: sequi enim videtur, & vulgò arguitur ab Abstractis ad Concreta: ita ut si abstracta de se invicem affirmentur, affirmantur & concreta: ut si dulcedo sit qualitas, dulce etiam est Quale.

Non autem sequitur si concretum de concreto, ergo abstractum de abstracto, affirmetur; ut si omnis Prudens est justus; non inde sequitur, ergo Prudentia est justitia.

4. De

4. De *Genere & ſpecie*. A Genere ad ſpeciem & differentiam arguitur negative, i. e. ad remotionem generis ſive ſuperioris ſequitur remotio ſpeciei ſive Inferioris: ut Prætor non ſervavit pactum dolo initum, ergo nec fraude. Arbor non eſt Animal, ergo nec ſenſitivum. Nullum animal currit, ergo nullus homo currit; non autem è converſo.

A Specie ſive Inferiori ad genus, ſive ſuperius, arguitur affirmativè: i. e. ad poſitionem ſpeciei ſive inferioris ponitur genus ſive ſuperius. Eſt emptum, ergo eſt paratum. rapinam commiſit, ergo furtum. non autem negativè.

In Jure arguunt à ſpeciali tanquam à Contrario Univerſali, ut ſi quis natus eſt à Patre Campano, & Matre Puteolanâ, municeps erit Campanus; quod ſi à Ponticâ Matre, Ponticus erit; cum beneficio Pompeii Ponticis conceſſum ſit, ut à Ponticâ matre nati Pontici ſint.

5. De *Toto & Partibus*. Locus de diviſione, ſive de toto & partibus affinis eſt illi de Genere & ſpecie.

Maximæ autem ſunt hujuſmodi,

A Toto ad partem valet conſequentia affirmativè tantùm, non autem negativè. Nam cùm Totum ſit omnes ſui partes ſimul

Poſito Toto, ponuntur (i. e. affirmantur) omnes partes; ſed ſublato toto non auferuntur omnes ejus partes; ut, cælum compoſitum eſt, ergo conſtat ex materiâ: Homo reſurget, ergo corpus & Anima.

A Partibus omnibus & unitis ſequitur Totum: ut Corpus & Anima ſimul ſunt, ergo eſt Animal.

Pars de toto non prædicatur, nec totum de

unâ parte. ut, non est verum, Homo est anima; vel Anima est homo.

Remotâ autem aliquâ parte removetur totum; ut Anima non est, ergo nec homo. Rotæ non sunt, ergo nec currus. fundamentum non est, ergo nec domus.

6. De *Comparatis.* Quæ differunt genere non possunt inter se comparari; sicut non possumus dicere equum currere, quantùm cygnus est albus. Nam, Quæ comparantur apta nata sunt participare in eo, in quo comparantur. Quare

Definiuntur homogenea, quæ possunt comparari. ut si magnitudo magnitudini addatur vel subtrahatur, homogenea sunt: Comparantur tantùm diversa.

Comparatio inter quantitates fit per majus & minus; & pertinet hujusmodi comparatio præcipuè ad scientias Mathematicas. inter cætera per magis & minùs.

Comparatorum aliqua sunt talia, sive similia & dissimilia, 2° Paria sive æqualia. 3° inæqualia, sive majus & minus.

7. De *simili* & *Exemplo.* Similitudo est rerum differentium congruentia: Exemplum cùm ab uno simili ad aliud simile arguitur. Ut Pisistratus tyrannidem affectans, satellites sibi acquisivit; ergo qui satellites sibi acquirit, tyrannidem affectat.

Omne simile, in eo quo est simile, est ut idem cum suo simili. quare conceptus Socratis & Platonis, ut homines sunt, est ad omnia idem. quod affirmatur vel negatur de homine, ut est Animal, affirmatur vel negatur de Asino, quâ tale.

Utimur quidem similibus, exemplis, & instantiis

stantiis utilitèr admodùm ad explicandum & illustrandum quod volumus. Jurisconsulti autem ad ritè statuendum quæstionis statum, illum quasi factum quoddam inter personas fictas ponunt, quam speciem vel casum vocant.

Et quidem, Oratoribus & Juristis in materiâ morali utilior est hic Argumentorum locus, quàm Logicis. Illi autem hujusmodi afferunt maximas;

Ubi eadem est juris vel æquitatis ratio, eadem quoque juris dispositio esse debet; ut quod de actione furti statuitur, statuitur etiam de actione damni injuriâ illati.

Ubi diversitatis ratio reddi non potest, idem jus esse putandum est.

Ubi similitudo Personarum, idem jus, est ut Posthumi nominatim exhæredandi sunt, quia filii.

Ex hisce frequentèr arguunt;

A Contractibus ad ultimas voluntates; & è contrà.

A Pacto ad legem; & similia.

Sic etiam Grammatici arguunt sæpè ab analogiâ unius vocis ad aliam.

Etiam Philosophi nonnunquam hujusmodi utuntur maximis;

Quod magis vel minus tale est, simplicitèr est tale: tale autem simplicitèr est, quod nullo adjecto est tale.

Quod est naturâ tale; & quod per se; & cui magis inest causa similitudinis; & quod magis efficit tale; & quo ablato, reliquum est minus tale; & quod minus mixtum est contrario, est magis tale.

Nulla autem Argumenta à simili vel pari valent, nisi in eo in quo sunt similia vel

 paria;

paria; in quibus scilicèt est eadem ratio. Et quia similitudo est differentium, omnia similia sunt etiam dissimilia, & paria imparia: unde fit ut, quod suprà dictum est, hic locus in strictâ & accuratâ argumentatione parùm valet.

8. De *Pari* sive *æquali*. Locus à paribus; sive ab æquali majorem habet vim quàm à simili. In Mathematicis enim.

Æqualia in eo, in quo sunt æqualia, habentur pro eodem; sicut idem est dicere; Duo Triangula super æqualibus basibus & inter æquidistantes parallelas sunt æqualia; Et, Duo Triangula super eâdem basi, & inter easdem parallelas, sunt æqualia.

Et in Jure multum etiam attribuitur Argumento à Pari: unde hujusmodi habent maximas.

Paria [sive eadem] sunt, non esse & non apparere: nihil respondere, & respondere obscurè.

Et generatim. Ubi duo parificantur, ab uno ad aliud rectè ducitur Argumentum. Ut Paria sunt in sententiâ certam quantitatem exprimere, & ad acta certam quantitatem continentia referre. Quare si condemnatio sit facta ad quantitatem, quæ in Testamento continetur, perinde est, ac si ad certam quantitatem condemnatio facta fuisset.

A Majori & Minori. In hoc loco valdè frequenti hujusmodi sunt Maximæ,

Quod minor potest, potest & major.
Quod major non potest, nec potest minor.
Major magis potest, Minor minùs.
Si Minus non liceat, ergo nec majus;

Et si majus sit licitum, ergo & minus; ut, non licèt Ecclesiæ vel Monasterii res alienare, ergo nec Ecclesiam vel Monasterium: si in laicis intolerabilis est inscitia, ergo & in Sacerdotibus.

Filios

Filios licebat occidere, ergo & exhæredare: Pater poteſt occidere adulterum filiæ ſuæ, ergo malè tractare.

Quicquid dicitur de uno, & de alio; ſed de illo magis, de iſto minus: debet etiam quicquid convenit illi prædicato, dici de eis cum magis & minus; ut, ſi Petrus & Johannes quia docti, ſint honorandi; Petrus ergo magis honorandus, quia magis doctus.

9. A *Cauſâ* & *Effectu*. Cauſa dicitur cujus vi res eſt; effectum verò, quod à cauſis fit vel exiſtit.

Variæ ſunt diviſiones cauſarum: ſicut, Quod aliud præcedit, nec tamen ſequens ab eo fit, dicitur Cauſa ſine quâ non; ut amiſſio dicitur cauſa recuperationis: & corruptio cauſa generationis.

Rursùs Cauſæ ſunt à quo, ſive Efficiens: Ex quo; Per quod; Propter Quid.

Ab Efficiente arguitur ad effectum, & è converſo. Multæ ſunt etiam diviſiones efficientium; totalis, & partialis. ſolitaria, conjuncta. Principalis, Inſtrumentalis; ad hanc etiam reducitur Meritoria in Moralibus.

Efficientium autem quatuor ſunt genera. 1° Natura (cui additur appetitus) effectorum naturalium. 2. Conſilium ſive Mens (cui additur Ars) ſpontaneorum. 3. Neceſſitas violentorum & 4. fortuna fortuitorum; hæ autem duæ ſunt Per accidens; Priores per ſe & ſæpè omnes concurrunt ad eundem effectum.

Effectum etiam eſt 1° Actio ipſa. 2° actum, quod ſcilicèt per actionem producitur. 3° uſus iſtius, quod producitur; niſi hic ſit potiùs finis, ut habitatio ædificationis. duo etiam ſunt vocabula effectum ſignificantia, Ago ſcilicèt

& facio. & in utroque est velut actio & actum.

Non omne quod agit, facit vel efficit aliquid.

A magis propriè dictâ Causâ ad effectum meliùs arguitur. magis propriè dicitur Causa Totalis, quam Partialis; Particularis quàm universalis; Principalis quàm Instrumentalis; Naturalis quàm Moralis; Proxima quàm Remota; univoca, quàm æquivoca; Necessaria quàm libera; Actu quàm Potentia; Per se quam per Accidens; sic sequitur

Sol est supra Horizontem, ergo Dies est: Sol nondum est ortus, ergo non est Dies. Ignis est, ergo Calor: Pleuritis, ergo difficultas spirandi. Cecidit in aquam, ergo est humectatus; Consensus est conjugum, ergo Matrimonium.

A Causâ arguitur meliùs negativè quàm affirmativè; quia Causa est prior Effectu; nec Effectum potest esse sine causâ. Causa scilicet non est, ergo non est effectus; ut non præcessit Obligatio, ergo non est Actio. non est consensus conjugum, ergo non matrimonium.

Ab Effectu ad Causam meliùs arguitur affirmativè; Effectus est scilicet, ergo est Causa.

Ab Effectu per plures Causas sive Totales sive Partiales producibili ad unam aliquam Causarum non arguitur.

Multæ sunt aliæ Maximæ; ut, Qualis Causa, talis Effectus; Positâ Causâ ponitur Effectus, & sublatâ tollitur. Propter quod unumquodque est tale, illud est magis tale &c. quæ cùm non teneant sine multiplici limitatione, eas omittendas duxi.

A *Fine* ad effectum, & è converso. Exprimitur finis per, cujus gratiâ, ad, ob, propter, pro, quo, quorium & similia; *ut* in fine qui est evitatio mali.

Finis

Finis est bonum rei; & summum bonum est finis supremus. dicitur autem finis cujus gratiâ, sive propter quod res fit.

Natura & Sapiens (Deus maximè) nihil agunt frustrà; quare si sciremus omnes causas finales, liceret arguere à fine ad effectum negativè, & è converso affirmativè; ut, Pupilla oculi debet recipere omnes colores, ergo nullum habere proprium. Non desiderat vivere, ergo non opus est ut comedat. Non vult esse doctus, ergo nec studiosus. Sumit medicinam, ergo vult sanari. Patronus non potest adigere libertum ut juret se non nupturum, nè scilicèt civitas impleatur, ergo (fine isto cessante) Eunuchum potest adigere. Militibus datur privilegium testandi propter expeditionis necessitatem: ergo extra expeditionem existentes non gaudent isto privilegio.

Ubi sunt duæ Causæ Finales, unâ (etiamsi sit principalis) cessante non cessat effectus: Fœmina non potest accusare propter impudicitiam; quâ tamen cessante non potest propter aliam: quia scilicèt non potest exercere officium virile.

Qui asserit finem principalem, asserit etiam intermedios; non autem negat minus principales, qui negat principalem.

De *Formâ* sive Causâ formali: Forma est vel externa, figura scilicèt, & est essentialis artificiosorum; vel interna, per quàm res est id quod est. 1° quæ dat primum & proprium esse rei. 2° simul existit & tollitur cum ipsâ re: 3° Ab omnibus aliis distinguit. Quare

A Formâ ad formatum sequitur Argumentum & affirmativè & negativè. Ostreæ habent animam, ergo vivunt. Cælum non est ani-

 matum,

matum, ergo non nutritur. Tenet etiam de formis artificialibus, ut

Corpus est rotundum, ergo aptum moveri. Serra est dentata, ergo apta secare. Vulnus est rotundum, ergo difficultèr coit; positâ enim formâ ponitur formatum, & sublatâ tollitur.

Et posito effectu, sive formato ponitur etiam forma; & sublato, tollitur: Quare licet argumentari affirmativæ & negativè, ab effectu ad causam, ut, Zoophyta sentiunt, ergo sunt Animalia. Spongia non sentit, ergo non est Animal.

A Materiâ ad materiatum. Materia *circa quam* dicitur objectum; *In quâ*, est subjectum accidentis. i. e. adjuncti, de quo mox.

Ex quâ propriè dicitur materia.

Meliùs arguitur à materiâ ad effectum negativè quàm affirmativè. uvæ non sunt, ergo non erit vinum. Vapores non sunt, ergo nec pluvia.

Ab effectu ad materiam melius affirmativè. Aqua marina gravior est fluviatili, ergo terrestrior. Radii solares transeunt, ergo est perspicuum.

Cum autem eadem res fieri potest ex diversis materiis, ad unam non arguitur; ut non sequitur: scyphus est, ergo est aurum. Perspicuum est, ergo Chrystallus.

9. De signo & signato. Effectibus similia sunt signa, & ex iis ducuntur Argumenta.

E Signis naturalibus, similibus significato, generaliter receptis & approbatis, pluribus concurrentibus, melius arguitur; ut plorat ergo dolet. tremit ergo timet. Luna pallet, ergo pluet. Pisces saltant in Mari, ergo instat Tempestas. In Medicinâ frequentissimè arguitur; habet dolorem capitis, lateris lævi, tussim siccam, febrem continuam, pulsum durum, respiratio-

respirationem difficilem; ergo est Pleuriticus.

10. De subjecto sive materiâ in quâ, & Adjuncto sive accidente.

Accidens potest esse subjectum alterius accidentis; ut Justitia est laudabilis; Coloratum est visibile.

Subjecti ejusdem plura sunt accidentia, & diversis temporibus contraria.

Negato subjecto negantur ejus Accidentia, non è converso. i. e. ab [est] Secundi adjecti, ad [est] tertii valet consequentia negativè; ut mortui non sunt, ergo non sunt miseri.

Ad Accidentia referuntur Circumstantiæ, item signa, & reliqua externa sive antecedentia, sive concomitantia, sive consequentia.

11. De Diversis sive Dissentaneis. Diversa sunt æquè ignota, nec ab uno ad alterum argui potest, nisi ostendendo in quo differunt; & meritò omisit hunc locum Aristoteles.

Sunt autem dissentanea Disparata vel Opposita.

De Oppositis Dictum est suprà scilicèt, Quod eidem non conveniunt. quare

Affirmato uno Oppositorum de aliquo, ejus oppositum negatur: negato autem uno non affirmatur alterum, exceptis contradictoriis.

Cui unum Oppositorum convenit, ejus opposito convenit aliud oppositum: ut fæmina damnata non potest ferre testimonium, ergo non damnata potest. Si bellum sit causa malorum; Pax est causa bonorum. Sanus habet justam corporis temperiem, ego ægrotus indebitam.

Cap. V.

De Fide à Testimonio.

Hucusque de duabus Assensus speciebus à ratione; sequitur tertia ab Authoritate sive Testimonio, quæ fides dicitur; & differt ab opinione, quia plerunque est firmissima & certissima; à scientiâ autem, quia non est evidens.

1. A fide dependent maxima tum hujus tum alterius vitæ momenta; vita enim, honor, divitiæ, salus, sanitas, & quicquid nobis est, non aliunde nobis constant quàm fide & testimonio aliorum; & videntur omnia hæc, hoc axiomate niti.

Non est rationabile ei assensum denegare, cui vel omnes vel plerique homines assentiuntur.

Firmitas autem fidei dependet vel à credibilitate ipsius objecti, vel à certiori testimonio, vel à nostrâ alterutrius firmiori & clariori apprehensione.

2. Ratio fidei est Testimonium, cujus multæ sunt species.

1° Præsumptiones sive Circumstantiæ Temporis, loci, personarum, actionum &c. ut fugit, Judicem vel Testes contemnere nitebatur, ferrum ejus in vulnere repertum est, ergo est reus; Quantum valeant hujusmodi Argumenta, prudentis viri est judicare.

2° Juramenta; quæ, quia sunt Argumenta Inartificialia, præterimus.

3° Authoritates, quæ confirmant, 1° res sive dogmata; vel 2° facta.

3. Ab

3. Ab Authoritate sive Testimonio alicujus viri docti. v. g. Aristotelis in Physicâ, non directè probatur rem ità se habere; sed tantùm eam fuisse illius hominis opinionem; sententiam scilicèt ejus fuisse, illam Propositionem esse veram. Quare

Nullius hominis Authoritas est absolutè & simplicitèr amplectenda, cùm non sit infallibilis; ejusque authoritas est tantùm probabilis.

Adversùs negantem alicujus Authoritatem, frustrà est eam urgere.

Peritiorum in illâ re, probiorum, sapientiorum, antiquiorum in veritate per traditionem delatâ, celebriorum, Magistratuum, Superiorum, Parentum, Magistrorum, Senum, plurium, consentientium major est authoritas.

Quicunque fidem habet alicui ob ejus authoritatem, oportet ut ei fidem habeat in omnibus, quibus fidem sibi haberi postulat.

Quamvis fides absolutè nulli hominum sit habenda; oportet tamen discentem credere. impossibile enim est quenquam doceri, si de omnibus dubitat, quæ Docens proponit. sed & unicuique in suâ arte ab ignaro credendum est; De doctis enim non nisi docti judicare possunt.

4. Testimonio autem Divino absolutè assentiendum est etiam contra omnes apparentias rationum, experientiæ, vel sensus, &c. & hæc dicitur Fides divina; quicquid enim ille dicit, est certissimè verum.

Difficultèr autem probatur Deum aliquid revelasse; Media verò sunt Miracula. Testimonium divinorum virorum. Extases, illustrationes Mentis, Passiones divinæ, visiones, sive intellectuales, sive imaginativæ, sive

ve sensitivæ; quibus tamen cavendum est, Sensus.

Solet autem Dei Spiritus non solùm ipsam fidem, sed & ejus firmitudinem & certitudinem fidelibus inspirare.

Revelatio est objectum Fidei formale. i. e. credimus tali propositioni, quia Deus ipsam revelavit. Et est tanquam lumen visioni colorum, quod scilicèt simul cum illis cernitur, licèt ejus gratiâ illi videantur; nec requirit aliud lumen, quo ipsum cernatur; sed est ipsum *objectum quo*, scilicèt alia cernuntur.

De Factis.

5. Testimonium autem magis propriè habetur de factis; hæc enim clarum admittunt Testimonium; nec alio modo de factis absentes fidem habere possunt. Sunt autem Facta antiqua vel recentia.

Antiqua autem scripto eoque vel publico vel privato, authenticato vel non authenticato, & traditione orali confirmantur.

Quæ scripto asseruntur, & quæ scripto publico & authenticato sunt credibiliora.

Quæ scribuntur ab ipsis gerentibus, consciis, testibus oculatis, præsentibus, coætaneis verisimiliora.

Testimonia publica, qualia sunt Jura, Leges, Sententiæ, Res Judicatæ, consuetudines, Sacramenta, sicut & Inscriptiones, numismata, Proverbia etiam, dicta Sapientum & similia, maximæ sunt Authoritatis.

Quæ nullus Historicorum illius vel proximè sequentis temporis, quo factum esse dicitur, refert, non sunt valdè credibilia.

Quæ

Quæ ex historiis incertæ originis, anonymis, viris obscuris, ignaris, levibus, jocosis, credulis, imperitis, iis quorum interest, Satyricis, libellis famosis, parum fidei merentur.

Historia, quæ nec sibi nec alteri contrariatur, quæ non narrat res in se incredibiles (nisi expressè profiteatur se miracula, vel miranda scribere, quibus aliundè fidem facit), quæ graviter & prudentèr scribitur, fidem meretur.

Traditio oralis scripto incertior est; quia magis accuratè conservantur scripta quam dicta: E memoriâ etiam dicta facilè elabuntur, & faciliùs testes quam scripta corrumpuntur.

De nuper factis.

6. Testimonium in propriâ causâ, unius, Juvenum, pravorum (maximè astutorum), infamium, dissidens, in re fallaci, imprudentium, quorum interest, extortum, parùm valet.

Testimonium plurium, peritorum, sapientum, senum, proborum, oculatorum, adversariorum, ex sententiâ Judicis, contra seipsum, sive in sui præjudicium, valet.

Testimonium juramento, morte, vel passione alicujus pœnæ vel damni probatum, certius. Indicat enim testem esse probum, qui etiam cum compendio suo nolit mentiri. 2° non esse credulum. 3° certò esse persuasum de re, cui testimonium perhibet.

LIB. III. PARS III.

CAP. I.

De Errore.

1. VT meliùs de ſcientiâ & veritate judicemus, paucis ſpectabimus earum contraria, ignorantiam ſcilicèt & errorem: binos miſeriæ & infælicitatis noſtræ, ſed uberrimos, fontes; quibus ex animis extirpandis, tum Logica, tum reliquæ omnes artes, ſcientiæ, & diſciplinæ inſtitutæ ſunt. Simplicem equidem neſcientiam, cui ſcilicèt major diligentia vel opportunitas mederi poſſunt, miſerandam magis quam exagitandam; eam vero, quæ ex malitiâ & perversâ ingenii diſpoſitione oritur, puniendam non informandam, exiſtimo. Sed erroris originem & cauſas pro virili aperire operæ-precium eſſe arbitror. Illuſtriſſimus Verulamius quatuor enumerat, quas Idola ſpecûs, tribûs, fori, & Theatri appellat. Terminos illos utpotè nimis pomposos, & ipſam etiam diviſionem utpotè nimis inartificialem; (cujus ſcilicèt ſpecies nec ſatis diſtinctæ, nec totum diviſum comprehendentes,) omittentes, aliam ſubſtituere conabimur.

2. Omnes verò *errores* ſunt vel falſa notitia ſive apprehenſio; vel falſum judicium, ſive aſſenſus. Senſuum exteriorum operationibus error non ineſſe videtur; utpote qui naturalitèr agunt & objecta ſua vi innatâ ſine deliberatione apprehendunt; ſed circa ea objecta frequentèr

quentèr errari manifestum est; cùm scilicèt nimis properè & festinantèr judicant facultates interiores; & *esse* objectum affirmatur, cùm debeat tantùm dici *videtur*. v. g. Solis diametrum bipedalem apparere necessarium est, & proindè verum; sed temere pronunciatur eam non esse majorem, cum distantia ejus ab organo non consideratur. sic Icterico omnia amara esse videntur, & verè sentitur objectum esse amarum; falsum tamen est illum v. g. potum aut cibum esse totale objectum, cùm simul cum iis amaror quidam linguæ priùs adhærens sensorium feriat. ita bonum judicatur, quod volupe tantum est, & sic de reliquis. Majores verò & periculosiores errores sunt in Apprehensione per loquelam; nam sic erratur, vel cùm verba malè exprimunt conceptus, quibus exprimendis instituta sunt, vel cum benè significantia perperàm percipiuntur.

3. Supposito enim quod linguarum Inventores ab opinionibus omnibus liberi, naturæ ipsius incorruptæ ductum & ferè instinctum sequuti, vocabula rebus, prout videbantur, verè imposuerunt; accuratam tamen & Philosophicam veritatem fortè ubique non attigerunt. inde fit, ut opinio Copernici, sive vera sive falsa, præjudicio certe maximo laboraverit. Posteri verò, & maximè quidem viri docti, plures voces addiderunt; quibus è propriis opinionibus nonnulla admiscuisse diffiteri non possumus; hinc Universalia Realia, Distinctionum varia genera, modi, formalitates, & similia. Voces prætereà valdè ambiguæ sunt etiam in rebus quotidiani usus, & earum æquivocatione decepti unum pro alio apprehendimus: & hinc est etiam quòd definitiones per-

sæpè adeò difficiles sint; sic Terra & globum hunc, & quasdam ejus, sed diversissimæ rationis, partes significat. Sic humidum dicitur; quod nullam vel minimam habet soliditatem; quod aliud corpus facilè circumfunditur; quod per se est indeterminabilis figuræ; quod facilè cedit tactui; quod facilè dividitur & dispergitur; quod facilè se unit & colligit; quod facilè fluit & movetur; quod alteri corpori facilè se insinuat, & illud madefacit. Unde sequitur secundum alias & alias Notiones flammam, aerem, pulverem, sive alchool &c. esse humida. Desunt etiam multa rerum nomina, non tantùm odorum, saporum & colorum, sed qualitatum aliarum, & humani animi dispositionum. unde fit ut vocibus utentes, sensa & cogitata nostra nec ipsi sæpe perfectè exprimere, nec alii sæpius rectè concipere, possunt.

4. Maxima autem errorum messis habetur in judicio; tum ab assensu falsis præmissis, tum conclusionibus à veris præmissis perperàm illatis; & hujusmodi Argumentationes fallaciæ dicuntur, de quibus seorsim. Assensus autem falsis præmissis procedunt vel à rerum sive objectorum ipsorum difficultate atque obscuritate; vel ab intellectus nostri imbecillitate: vel à malitiâ & neglıgentiâ affectuum; vel à consuetudine & educatione.

5. Rerum Obscuritas inde oritur, quòd earum essentias (sensibus accidentia tantum percipientibus) non nisi argumentatione cognoscimus; & sæpe aliud *sint*, aliud *videantur*; quòd (cùm omnia sint diversimodè decomposita & mixta) operationes etiam, per quas in essentiæ cognitionem devenimus, diversæ in eâdem, & similes in diversis speciebus reperiantur; unde iidem

iidem effectus diversis causis, & eædem causæ diversis effectibus attribuuntur. quòd experientiâ cognoscere & laboriosum & difficile sit; tum quia partes impetum facientes, Partes etiam minores, & corporis ipsa contextura, visum sensusque effugiunt: nec modus datur aliquis corpora aperiendi nisi per ignem vel aquam; quorum neutrum partes naturæ more solvit, sed propriarum partium intromissione lacerat & destruit: hinc est quòd de Principiis adhuc disputamus; & ea tanquam prima præsumimus, quæ non nisi ab aliis, idque perversâ generatione, fiant. Aristoteles quidem rectè quoad actionem & motum statuere principia videtur; sed qui corporum essentias, & ipsissima constituentia proferunt, vereor nè proprias imaginationes, & mera figmenta nobis obtrudant.

5. Imbecillitas humani ingenii oritur ex animæ ad corpus relatione & dependentia. adeo ut nec perfecte sui juris sit, nec facultates suas libere & pro virili exerere possit. hinc fit ut inventio sit angusta, memoria labilis, & judicium plerunque nimis incertum. ut adeo tarde artes & scientiæ incrementum suum acceperunt; nec adhuc cognoscitur an culmen attigerint. ut principia (quæ tamen primo & maxime nota esse oportet) æquè, si non & magis, difficulter eruuntur, ac conclusiones. Verum quidem est hanc imbecillitatem inscitiam producere magis quam errorem. non enim errat, qui omnia non comprehendit; vel qui non omnia accurate, & secundum præcisam ejus veritatem, quæ in indivisibili & quasi in minimo consistit, cognoscit. erroris tamen occasio præbetur, cum sensibus nimis

præcipitanter creditur; ut cum dolorem esse corporis, quia in corpore sentitur, arbitramur. cum quod clare & distinctè tantum apprehendimus verum esse existimamus. v. g. cum opiniones vel notiones nostras, si sibi invicem cohærere, nec sibi mutuo contradicere cernamus, pro certis & demonstratis habeamus. Hinc tot Mundi, Theologiæ, Artium, scientiarumque systemata & moduli. quorum quidem singula falsa esse possunt, & fortasse nec omnia integram veritatem continent. & de quibus Heraclitus olim querebatur, Philosophos scientias quærere in mundis minoribus, suis sc: imaginationibus; non in majori sive ipsâ naturâ. delectatur etiam intellectus liberis suis, & mavult sæpenumero à seipso decipi quam ab aliis informari.

6. Ab educatione etiam & consuetudine in errores sæpius inducimur. videmus enim nationes plurimas ordinesque hominum opiniones gentiles, & peculiares consuetudines mordicus arripere & tueri. unusquisque etiam ferè notiones suas certo quodam modulo & forma effingit; cum intellectus ferè naturaliter omnia ad prius cognitum reducit. Sic Geometres omnia ad Geometriam; Physicus ad Physicam; Chymicus ad lapidem benedictum a trahit & committit. ad ea quæ semel amplexa est mens nostra (sive vera sive credita tantum) alia etiam omnia ad suffragationem & consensum trahit: & argumenta sive instantias in contrarium vel non observat (intus existente prohibente contrarium) vel contemnit, vel distinguendo rejicit eo modo sc: quo Astrologi suis ineptiis delectati diligenter advertunt prædictiones quas impleri contingit, reliquas prætereunt & excusant.

excusant. Intellectus sc. se habet ut Menelaus, qui continuâ contemplatione imaginis Helenæ, quam in navi secum gestavit, adeo fascinatus erat; ut cum veram Helenam in Paro vidisset, oculis non credidit. hâc etiam præpossessione sive præjudicio usi præstigiatores & omne agyrtarum genus formant in imaginatione quam volunt Ideam, ut deceptiones fraudesque superstruant.

7. A corporis etiam temperamento & affectuum pravis dispositionibus aliæ oriuntur errandi occasiones. biliosus aliter dictum interpretatur quam melancholicus, quam hilaris; aliqui etiam citius apprehendunt, alii melius judicant: pauci ex iisdem apprehensis eadem cogitatâ (nisi qui ex arte judicant) fabricant. nihil autem æque judicium pervertit ac affectus & passiones. hinc enim fit, quod alii ex ambitione plus aliis sciendi, gloriamque ab aliis detrahendi, omnia noviter inventa, vel ab inferiori dicta contemnunt; & suis sibi complacent, eaque importune satis venditant. lucro deditus eas solum opiniones amplectitur quæ cupiditati suæ favent, vel quæ in usu & à pluribus habentur. alii alios admirantur, & eorum, quos sibi duces elegerunt, placita absque examine admittunt, nec ultra quærunt. aliis etiam frequenter invidemus, nec veritatem (quam tales amplectuntur) sequi volumus, ne minores ipsis videamur. A negligentiâ fit, quòd non adhibemus omnimodam probationem, quæ haberi etiam facile potest: ut cum in philosophicis authoritati adhæreamus neglectâ experientiâ, experientiæ neglectâ ratione, rationi spretâ authoritâte, vel testimonio quorundam aliis neglectis. Quòd assentimus sine

diligenti examine illius quod in contrarium dici potest; quod plerunque fit cum aliquantulam sententiæ probabilitatem conspicimus, vel saltem partium ejus mutuam correspondentiam. Maxime autem & frequentissimè erratur, cum Universalem propositionem sine sufficienti particularium vel minus Universalium enumeratione inducimus. ut cum dicimus, hoc & illud &c. animal inferius mandibulum in mandendo movet; ergo omne. non hoc nec illud &c. ergo nullum, animal terrestre est squamis tectum. hoc & illud &c. est incertum; ergo omnia. hic & ille &c. convaluit sine medicina; ergo omnis medicina inutilis. Sic frequenter disputando erramus non sufficienter enumerando membra alicujus divisionis; ut, si detur condensatio, sequitur vel dari penetrationem corporum vel vacuum. male enim arguitur, cum potest fieri exclusione corporis tenuioris. Si corpus movetur, tum vel ad plenum vel ad vacuum. & similia.

8. Quòd si quis quærat, cur tanta nobis in cognitione incertitudo; & quare nos Deus creaverit tot errandi occasionibus obnoxios; Responsio facilis est. Quòd hoc modo virtuti & industriæ nostræ consuluit; cum veritas non magis quam virtus haberi possit nisi passionum & affectuum immoderatorum rejectione, & seriâ animi ad veræ felicitatis viam applicatione. Opus est ut anima, quæ præmium exspectat, habitibus & arte, maximè rationis, perficiatur. ignavos scilicet coronam accipere, quem diligentes tantum merentur, non decet. Quinetiam veritatis cognitioni strenua danda est opera, ut doctus à sciolo, prudens ab inepto, secernatur; & ut non levi quovis & inge-

nio.

nioso discursu falli & decipi necesse foret. Sapientissima etiam Providentia rerum omnium pretiosissimam absque sudore parari prohibuit; & cum aliis animalibus victum & vitæ necessaria non nisi labore & fatigatione concesserit, nobis summam dignitatem gratis elargiri noluit. Nec tamen diffitendum est, quòd in maximi momenti veritatibus, singulis etiam tenuioribus ingeniis consuluit; cum eas non sensu, ratione, arte, aut scientiâ, sed fide tantum apprehendi curavit: & cum cætera obscura vel dubia sint, de æternæ beatitudinis consequendæ mediis omnes etiam indoctos certos & securos esse voluit. filiumque suum misit, non ut scientiam rerum naturalium (de quâ ne verbum quidem per totam vitam Mundi ipse Creator protulit) sed fidem doceret.

CAP.

CAP. II.

De Fallaciis,

QUæ sunt falsæ Argumentationes, habentes tamen speciem verarum; fiuntque multis modis.

1° Quando aliquis terminus est æquivocus, sumiturque in unâ Propositione in uno sensu; in aliâ, alio. æquivocatio autem dicitur vel à significatione i. e. quando diversa significat, ut

Quod caret principio & fine est æternum,
Circulus caret principio & fine, ergo.

Ubi principio & fine in majori sumitur pro Principio & fine durationis, in minore longitudinis.

Hâc fallaciâ usus est dux ille, qui cum inducias cum hoste pro triginta diebus pepigisset, invasit eos nocte: Et Romani, qui promittentes Antiocho remittere dimidium navium, quas cepissent, naves omnes per medium secabant: Et cum Carthaginensibus pacti sunt civitatem salvam, cives omnes exire jusserunt, urbemque incenderunt, dicentes civitatem non esse muros sed incolas.

Vel à suppositione, cùm scilicèt terminus in diversis propositionibus alitèr atq; aliter supponat; ut unum est Passio Entis, unum est idem cum Ente, ergo Idem est Passio sui ipsius. Rationale & homo sunt idem reale, sed rationale est differentia & homo est species, ergo differentia & species sunt idem realitèr. In quibus unum in Majori, & rationale in minori supponunt simplicitèr, in aliis verò personalitèr.

ter. Sic si dicatur isti, Asini sunt Episcopi, est æquivocatio respectu casus.

2° Quando tota sententia est ambigua, & potest exponi duobus modis. Ut Edvardum occidere noli, timere bonum est; Et Edvardum occidere noli timere, bonum est. Octennium superat decennium biennio. Octennium superat sexennium biennio. Ergo sexennium est æquale decennio.

Omnis homo est sanus vel æger. duobus modis intelligitur 1° quod omnes homines sunt sani vel omnes homines sunt ægri, quod falsum est: 2° Ista vox sanus vel ista vox æger prædicatur de quolibet homine, sic est verum.

Hæc Entitas (v. g. perseitas, personalitas &c:) Socratis est aliquid; duos enim sensus habet hæc propositio. 1° quòd entitas (quæ est quiddam distinctum à Socrate, & quam Socrates habet) est aliquid, & hic sensus est falsus. 2° Socrates, qui est hoc ens, est aliquid: & est verus.

Motus est in mobili, duplicitèr intelligitur; vel quòd motus est res distincta à mobili, eique inhærens, & hoc falsum est; vel quòd mobile movetur, quod verum est.

Deus vult malum duplicitèr dicitur. Deus vult aliquid, & illud est malum, & in hoc sensu potest concedi Propositio; 2° Deus vult aliquid, quod non debet velle, & hoc falsissimum est.

Hujusmodi etiam sunt, Deus habet sapientiam; Ens habet essentiam. Negatio est à parte rei. Potentia corrumpitur adventu formæ. Diversi modi essendi possunt eidem rei competere; quæ Propositiones è supra-dictis facilè explicantur.

Huc

Huc referuntur illæ Propositiones, quæ ex diversitate determinationum varios habent sensus; ut in Concilio Ariminensi, Ariani proposuerunt anathema ei, qui asserit Christum esse creaturam, ut sunt cæteræ res creatæ: hic Catholici intelligentes istas voces, ut sunt cæteræ res creatæ, ut determinationem explanantem, consenserunt, cùm Ariani eas ut restringentem sumpserunt, Christum scilicèt fuisse creaturam, sed non qualem reliquæ creaturæ; quâ fallaciâ deceptus orbis Christianus subitò & inopinato se factum Arianum mirabatur.

Omnes omnium hominum servi sunt fures, falsum est, si intelligatur aliquos esse servos omnium hominum; verum, si intelligatur nullum esse hominem, cujus non omnes servi sint fures.

Omnes utriusque sexus quotannis proprio Sacerdoti confitentur i. e. omnes Hermaphroditi. Inquit Calvinus.

Ducebantur ad supplicium cum Domino duo alii nequam, non quòd Dominus sit nequam, sed cum eo ducebantur duo alii, iique nequam.

Si quæratur an possit concedi Deus genuit alium Deum: si alium & deum ità sumantur ut se mutuò determinent, concedi non potest; sed si intelligatur Deus genuit deum, eumque alium à se. i. e. personâ diversum, vel genuit alium eumque Deum, concedi potest.

3° Quando quis arguit à benè divisis ad malè composita, aut à benè compositis ad malè divisa, quæ dicuntur Fallaciæ compositionis & Divisionis,

Francia est unius Regis.

Hispania

Hispania est unius Regis: Ergo Hispania & Francia sunt unius Regis.

Quatuor est numerus par.

Tres & unum sunt quatuor; Ergo sunt numeri pares.

Sic Dominus dicit cæcos videre, surdos audire &c. i. e. eos, qui erant cæci, surdi, &c. Sic in hoc syllogismo; qui surgebat stat, sedens surgebat, ergo sedens stat: ubi subjectum minoris ampliatur; & significat, Qui sedebat. Et multæ quidem sunt acceptiones differentiarum temporis, quæ propositiones obscuras, æquivocas & fallaces reddunt: quum præsens tempus aliquando significet tempus indefinitum; ut Lilium nascitur inter spinas; aliquando statum, habitum, consuetudinem, officium &c. non actum; Ut, Carolus regit Angliam, verum est, quando Rex dormit. N. docet Oxoniæ, etiam iis horis, quando non prælegit: aliquando etiam præsens & præteritum, ut sedens surgebat. i. e. qui vel nunc sedet, vel qui prius sedebat: aliquando futurum etiam; vivens morietur. i. e. qui nunc vivit, vel post vivet: aliquando omnia alia tempora, ut natus moritur. i. e. qui nunc, qui olim, qui posthac.

Quæ omnia potius verborum sensu & usu discenda sunt, quàm multitudine regularum de Ampliatione, Distractione &c. Et cogitando quidem fient hæc omnia manifesta, & meliùs resolvuntur dicendo ea habere diversos sensus, quàm distinguendo multiplicare terminos, qui rebus per se satis intricatis magis augent difficultatem. Sic istiusmodi Propositiones, Puer fuit senex, Meretrix erit virgo, Vir adolescit, facilè potest quis interpretari, sensum explicando hoc modo; scilicet, Isaac v. g. qui

fuit puer, fuit posteà senex. Thais, quæ erit meretrix, prius erit virgo. futurus quispiam vir, adolescet prius.

Hujusmodi sunt. Possibile est sedentem ambulare. possibile est verum esse impossibile. possibile est prædestinatum damnari.

Si ad audiendum aliqua auris est necessaria, tum vel dextra vel sinistra.

Omnis fœmina est casta vel impudica.

Omnis fœmina non est casta, ergo omnis fœmina est impudica.

Fallacias Accentus & figuræ dictionis, utpotè nimis obvias, omisimus.

4° Quando, quod dicitur de aliquo tanquam accidens, sumitur ac si diceretur per se; dicitur fallacia Accidentis. ut.

Homo continet sub se diversa Individua.

Socrates est homo. ergo continet sub se diversa Individua.

Qui dicit te esse animal dicit verum.

Qui dicit te esse asinum dicit te esse animal. ergo.

Respondetur majorem non esse veram, si sumatur particularitèr, nec esse universalem verà, nisi sic enuncietur; Qui dicit te esse quodvis animal dicit verum, sed tunc etiam est falsa. Hujusmodi sunt etiam illæ; Qui mortificat opera carnis salvabitur: quæ non est vera, nisi dicatur, omnia opera carnis. Homo mingit quod bibit. sed bibit vinum, ergo.

Sic Epicurei probarunt Deos habere figuram humanam, quia in nullâ aliâ habeatur ratio, cum sit per accidens quod ratio insit tali figuræ prædito.

4° Quandò quis probat aliquid, quod non est quæsitum, dicitur ignoratio Elenchi: ve

cu

cum non infertur verè contradictorium Propositionis negatæ; sive fallat in aliquâ conditionum contradictoriorum, ad idem, secundum idem, eodem modo, & eodem tempore. sic cùm quis probet contra Parmenidem dari (materiam scilicet & formam) si ille asserat tantùm dari unum principium (efficiens scilicèt.)

6° Cùm arguitur à quæsito tanquam à concesso; sive cùm quis supponit verum esse quod quæritur, non quidem in terminis, sed vel per æquivalentiam, vel consequentiam; vel cùm quis arguit ex æque incognito, Dicitur fallacia Petitionis principii. Quod non perdidisti, illud habes: cornua non perdidisti. Ergo. supponit enim te habuisse cornua. Sic Raynaudus, ut probaret Deum esse, supponit ens rectè dividi in ens per se & ab alio. Sic qui definiunt, Sortes esse invocationem divinæ justitiæ ad judicandum de rebus dubiis, & deinde arguunt sortes non esse licitas in rebus levibus v. g. ludicris, & similibus.

7° Quando arguitur ab eo quod videtur causa, sed non est causa, dicitur fallacia à non causâ ut causâ.

Quod facit bonum est bonum.
Mali Mores faciunt bonas leges. Ergo.
Quod facit malum est perdendum.
Vinum, Eloquentia, Medicina &c. facit malum. Ergo.
Si Tempus nunquam foret, nunquam esset nox.
Si nox non esset, dies semper esset.
Si dies semper esset, esset aliquod tempus.
Ergo. Si nullum esset tempus, esset aliquod tempus.

Qui magis esurit, plus comedit.
Qui minus comedit, plus esurit. Ergo.
Qui minus comedit, plus comedit.

In Philosophiâ usitatissima est hæc Fallacia, dum scilicèt homines, ne quid ignorare videantur, quidlibet fingunt, & pro causâ venditant. Sic Astrologi, qui omnia, etiam actiones nostras liberas, stellis attribuunt. Sic qui omnia ad sympathiam, virtutes magneticas &c. referunt. Sic qui arguunt calorem fieri post ortum Sirii, ergo fieri â sirio; æstum maris consequi Lunæ motum, ergo ab eâ fieri, omnes peccant hâc fallaciâ.

CAP.

Cap. III.

De Methodo.

1. Binæ sunt Methodi Argumentandi. prima à principiis ad conclusiones, estque ordinaria, & dicitur synthetica. secunda à conclusionibus ad Principia, diciturque Analytica; fitque vel affirmando & asserendo, vel negando & destruendo principia.

Methodus Analytica inservit magis inveniendæ veritati, Synthetica docendæ; Analytica quæstionibus dissolvendis, Synthetica scientiæ tractandæ.

Quæstiones sunt v. g. cùm per effectus inquiruntur causæ, vel per causas Effectus; vel totum per Partes, vel Pars per totum; vel aliud æquale &c.

2. Requiritur autem 1° ut quæstio distinctè & perspicuè intelligatur i. e. ut perfectè cognoscatur nodus difficultatis, sive quid sit notum, quid quæsitum; neque pro vero habendum, quod non sit certissimè verum, vel conditiones alias admittendo, vel datas rejiciendo.

2° Ut detur aliquid notum, aliud vero sit ignotum; nec in universalibus consistendum est, sed dandum est tantum unde reliqua inveniantur; ut non proponitur facere perpetuum mobile.

3° Ut Analysta supellectilem habeat sufficientem propositionum aliarum, quæ cum datis collatæ inventioni quæsiti sufficiant.

4°. Ut inveniatur quæsitum, oportet attentissimè considerare omnes cogniti circumstantias, æqualitates cum aliis, comparare unum cum

alio, diversis modis (ab Oughtredo descriptis. Clavis.c.16.18.); donec aliquid obtentum sit, quo in cognitionem ignoti deveniatur.

Difficilis est autem hæc inventionis Pars, neque ei possunt dari Regulæ sufficientes, cùm praxi & experientiâ tantùm acquiratur.

Geometræ Analystæ, si quæsitum sit Theorema, supponunt esse verum; si Problema, esse possibile: & deindè quærunt quidnam inde sequeretur, versando singulas quæsiti partes, & æqualia; incipiendo à simplicioribus & magis cognitis; inde ascendendo ad ignotiora; nec cessant, donèc in aliquam Propositionem inciderint, unde veritatem vel possibilitatem affirment vel negent.

3. Methodus verò synthetica incipit ab universalioribus, & inde ad particulariora descendit; Nam si à Particularibus ascenderet, sæpiùs idem (universale scilicet) repetere necesse esset, & confusio in conceptibus introduceretur: hâc methodo scientiæ omnes tractantur & docentur. Perfectissimæ autem sunt Mathematicæ, & inter has Geometria; cujus tractatores has observant Regulas.

1° Nunquam utuntur termino ambiguo, & proindè semper præmittuntur omnium terminorum definitiones.

2° Nunquam arguunt nisi ex Principiis certis, & indubitatis; quare ponunt Axiomata & postulata.

3° Nunquam arguunt nisi virtute syllogismorum perfectorum.

Quos si reliqui scientiarum Tractatores imitarentur, major profectus reperiretur, quàm habemus.

Exemplum doctrinæ Syntheticæ, ejusque usus

usus & dignitatis etiam in historiâ naturali nuper in lucem edidit doctissimus Morisonus, in specimine suo de umbellis. in quo, definitione primò umbellarum positâ, à partibus Plantæ non quidem essentialibus at principalibus certe desumpta, per diversas differentias ad species infimas procedit. Definitio vero talis est, Planta Umbellifera est, quæ habet summitatem rotundam caulis fastigio innixam; unde plurimi radii orti, floribus quinque-petalis coronati, quasi superficiem constituunt: quibus floribus decidentibus succedunt bina semina ex partibus pronis simul conjuncta. Verum quidem est differentiis non semper sua constare nomina, quod sæpius ante monitum est; quoniam à partibus exterioribus per sensum desumuntur: & non à formis; quarum actiones primariæ & principales, per quas in formarum cognitionem devenire solemus, non cognoscuntur, nec nisi maximo labore & jugi experientia cognosci possunt.

Præterea observandus est modus Universalia faciendi. ex collatione sc: plurium individuorum (hîc quidem in partibus integrantibus) reperitur similitudo sive convenientia aliquorum; quæ idcirco dicuntur esse ejusdem speciei. ex collatione rursus diversarum specierum fit genus, similitudinem significans istarum specierum. ex collatione rursus generum diversorum fiunt genera superiora; donec ad supremum in suâ classe deventum est. Hæc ergo tabula symbolum sit & exemplum Universalium, generum sc. & specierum (vice arboris Porphyrianæ sæpius repetitæ) sicut & utilitatis Methodi syntheticæ, cujus auxilio tot, tam facilè, tamque brevi tempore addisci poterint.

terint. optandum est ut idem in reliquis etiam historiæ naturalis partibus præstaretur, quod Morisoni diligentiâ & jugi observatione in plantis jam præstitum est. dolendum vero est nomina tam inartificiosè imposita, quæ (si mutare liceret) ex hâc methodo multo commodius dari possint.

CAP. IV.

De Methodo scientiarum habitualium.

1. SUbjectum in scientiâ actuali, sive assensu uni conclusioni demonstratæ, est subjectum illius conclusionis; & conclusio ipsa est objectum; sive illud quod scitur. Quare subjectum scientiæ habitualis est subjectum plurium conclusionum in illâ scientiâ: sive est terminus communissimus in aliquâ scientiâ consideratus; non excedens limites illius scientiæ; & ad quem omnia, vel saltem pleraque, in illâ scientiâ considerata habent ordinem & attributionem. Objectum verò non est una, sed plures Propositiones spectantes ad scientiæ illius subjectum.

2. Scientia enim habitualis non requirit, ut sit una unitate formali; sed sufficit, si sit aggregatio plurium habituum & actionum circa plures conclusiones, quarum aliquæ cognosci possunt per experientiam, aliæ per opinionem. Nam non requiritur ut omnes conclusiones in scientiâ sint demonstratæ; sed sufficit, si vel directè, vel necessariò, vel etiam utilitèr conferant ad cognitionem subjecti. Nec requiri-

tur

tur ut ſubjectum primum ſcientiæ virtualitèr in ſe contineat notitiam omnium veritatum illius habitus.

3. Idem ſubjectum non poteſt tractari ſub eâdem ratione in diverſis ſcientiis; ſub diverſis autem poteſt, maximè ſi illæ ſcientiæ ſint ſubalternæ.

Scientiæ autem vel ſunt ſubalternantes, quæ ſunt ſcientiæ generaliores, ſive quarum ſubjecta ſunt magis communia; vel ſubalternatæ, quarum ſubjecta ſunt termini minus univerſales, & quæ non poſſunt apprehendi, niſi generalioribus priùs apprehenſis. Diſtributio autem ſcientiarum, quæ hodiè obtinet, facta videtur Doctorum conſenſu, qui notitias de ſubjectis obſcurioribus, vel magis ſterilibus, ſcientiæ proximæ applicarunt; & pro commoditate diſcentium plus vel minus unicuique ſcientiæ tribuerunt.

4. Unaquæque vero ſcientia ſubalternata, ſicut à ſuperiori ſumit ſubjectum ſuum, ſcilicèt & quod ſubjectum, verè & realitèr ſit ens, & etiam quid ſit ſive ejus definitionem, ità etiam ab eâdem habet ſua principia, per quæ concluſiones ſuas demonſtrat. Nam quæ ſunt concluſiones demonſtratæ in ſuperiori, ſive ſubalternante, poſſunt eſſe principia in ſubalternatâ: Et proinde ſcientiæ ſubalternatæ ſtrictè loquendo non ſunt ſcientiæ, niſi quatenùs cum ſubalternantibus conjunguntur, & cum iis unum ſcientiarum aggregatum efficiunt: Quare etiam vera ſcientiarum Methodus eſt, ut à generaliſſimis incipiatur; cum inferiores evidentiam ſuam ſemper à ſuperioribus mutuantur.

5. Termini omnium communiſſimi ſunt, Ens,

Ens, ejusque synonyma; termini item, qui promiscuè de omnibus prædicantur, vel singuli de singulis, vel una specierum de singulis: illiusmodi sunt, unum, bonum, verum, secundum opinionē communem: hujusmodi vero, Perfectum, imperfectum, Totum, Partes, simplex, compositum, idem, diversum, & similes; Et omnes hi in Metaphysica tractantur. ad quam etiā reducuntur cognitiones specierum Entis sive substantiæ & Accidentis in genere; & in speciē de nobilissimi substantiæ specie, sc. immateriali. Terminus proximè Universalis est Corpus, de quo tractat Philosophia naturalis, & de terminis æquè latis, sive de Proprietatibus ejus, quantitate, figurâ, loco, motu, tempore, qualitatibus &c. sicut & de speciebus: Cùm verò ad species inferiores ventum est, habet unaquæque jam non suam scientiam sed historiam, sive notitiam experimentalem.

De homine verò (quia de ipso plus cognoscitur utpotè magis & plenius considerato) plures sunt sive scientiæ sive disciplinæ, sicut Medicina de ejus sanitate cum suis sive partibus. Sive subalternatis: & Practicæ Disciplinæ sive prudentiæ de ejus operationibus in ordine ad alios; sive de Relatis. Sed de his non est hic locus ampliùs disserendi. Viri docti hoc olim satagerunt, ut omnes terminos in certas classes distribuerent, & omnes istarum classium in aliquam disciplinam conjicerent, ut de quovis, quod sciri potest, methodicè & ordinatè cognosceretur. Et hujus Instituti tanquam Instrumentum principale, si non & unicum, Logicam statuerunt; cujus beneficio in omni cognitione & scientiâ Ratio & Intellectus dirigeretur.

FINIS.



Pag.
I.
ve
ne
p.
p.
es
ri

ERRATA.

Pag. 18. l. 33. *omnes*. 36. *unam*. *alteram*. p. 19. l. 10. *aliquod significat*. p. 25. l. 31. *possunt vel definiri vel*. p. 28. l. 28. *affirmativum & negativum*. p. 50. l. 14. *pro animal l. rationale*. p. 60. l. 16. *alia excludit*. p. 99. l. 18. *ei, quod* p. 101. l. 12. *quorum*. p. 120. l. *penult*. *facta esse dicuntur*. p. 115. l. 13. *non uxorem ducturum*.

Planta umbellifera est vel.

- Propriè dicta.
  - 2. Semine fungoso sive Cachrys semine.
    - lævi
      - aspero
      - plano.
        - majore
        - minore
    - sulcato
    - Meum spurium.
    - Bulbocastanum.
  - Semine Striato.
    - Foliis fœniculaceis.
      - Semine minori striato.
        - Selinum montanum pumilum.
        - Visnaga sive gingidium.
        - Saxafraga panonica.
      - Semine majori striato.
        - Fœniculum.
          - Vulgare
          - Dulce.
            - Italicum.
            - Azoricum
        - Cuminum.
        - Meum Athamanticum.
    - Foliis Lobatis.
      - Major semine striato majori.
        - Imperatoria.
        - Astrantia. — Major. Minor.
        - Smyrnium. — Majus. Minus.
        - Levisticum.
        - Siler montanum. Majus. Minus.
        - Siler Aquilegiæ foliis.
        - Angelica.
          - Sativa.
          - Sylvestris.
          - Maxima Montana.
            - Lucida Canadensis.
            - Silvestris minor.
      - Minor semine striato minore.
        - Sium.
          - Terrestre sive segetale.
          - Aquaticum.
            - Latifolium.
            - Angustifolium.
            - Ad alas floridum.
            - Rugosis foliis trifidis & dentatis.
            - Pumilum fœniculaceis foliis.
        - Sisarum.
        - Sison.
        - Pimpinella Saxifraga.
          - major degener.
          - minor crispa.
            - major.
            - minor.
    - Foliis plurifariàm divisis.
      - Majori.
        - Oenanthe.
          - Maxima.
          - Apii folio.
          - Angustifolia.
          - Millefolii palustris folio.
        - Crithmum.
          - Marinum.
          - Spinosum.
        - Seseli.
          - Pratense.
          - Frutex Æthiopicum.
          - Montanum Pannonicum Clusii.
        - Cicuta.
          - Latifolia fœtidissima.
          - Major.
          - minor sive fatua.
          - Palustris tenuifolia.
      - Minori.
        - Ammi.
          - Annuum vulgare.
          - Perenne.
        - Carum.
        - Anisum.
        - Pyrethrum.
        - Apium.
          - Hortense sive sativum.
            - Planum.
            - Crispum.
            - Angustifolium.
            - Degener foliis longis.
            - Maximum.
            - Umbella lutea.
          - Palustre.
            - Italicum sive scelleri.
            - Nostras.
          - Semine villoso & incano.
            - Macedonicum.
            - Peregrinum.
    - Foliis quid peculiare referentibus.
      - Bupleurum.
        - Annuum minimum.
        - Perenne.
          - Latifolium.
          - Angustifolium.
          - Alpina angustifolia major.
      - Perfoliata.
        - Perennis.
        - Annua.
          - Vulgatissima.
          - Minima bupleuri folio.
  - Semine foliaceo cincto.
    - Alis foliaceis. Laserpitium, lobis.
      - Latioribus.
        - Seseli Æthiopicum.
        - Libanotidi simile semine crispo. J. B.
      - Angustioribus.
        - Saturatè virentibus & lucentibus semine crispo.
        - Dilutè virentibus plurifariàm divisis.
        - Dilutè virentibus conjugatim dispositis.
    - Alâ foliaceâ. Thapsia.
      - Maxima latissimo folio.
      - Latifolia villosa.
      - Minor Carotæ effigie.
  - Semine hispido.
    - Villoso.
      - Daucus sive Pastinaca Tenuifolia, Carota.
        - Sativa.
          - Alba.
          - Lutea.
          - Rubra.
        - Sylvestris.
          - Genuina Dioscoridis.
          - Lucida.
          - Radice & Umbellâ lutea.
          - Umbellæ radiis Gingidii longioribus.
        - Cretica.
          - Capitulis globosis sive Cuminum.
    - Echinato sive aculeato.
      - Caucalis.
        - Major.
          - Platyphyllon.
            - Purpurea.
            - Alba.
          - Leptophyllon.
            - Monspeliaca magno fructu.
            - Echinata magno flore.
          - Daucoides.
            - Tingitana.
        - Minor.
          - Arvensis parvo flore & fructu.
          - Nodoso Echinato semine. C. B. P.
  - Semine membranaceo subrotundo, compresso.
    - Foliis fœniculaceis.
      - Peucedanum.
        - Majus Italicum.
        - Minus Germanicum.
        - Foliis conjugatim positis.
      - Ferula.
        - Math.
        - Galbanifera.
      - Panax sive Panaces asclepium.
      - Anethum.
    - Foliis lobatis.
      - Tordilium.
        - Majus vulgare limbo lævi Sive minus Granulato.
        - Minus limbo granulato.
          - Syriacum.
          - Apulum minimum.
      - Panaces peregrinum.
      - Sphondylium.
        - Vulgare hirsutum.
        - Hirsutum foliis angustioribus.
      - Pastinaca latifolia.
        - Sativa.
        - Silvestris.
    - Foliis plurifariàm divisis.
      - Thysselium.
      - Seseli palustre lactescens.
      - Oreoselinum Parisiensiû.
      - Selinû peregrinû 2. Clus.
  - Semine Rostrato.
    - Lævi.
      - Scandix.
      - Cerefolium.
        - Sativum.
        - Silvestre.
    - Striato.
      - Myrrhis semine striato.
        - Annua semine.
          - Aspero.
          - Lævi quasi-villoso.
            - Oblongo, nodosa.
            - brevi, novâ æquicolorum.
            - Anthriscus.
        - Perennis.
          - Lutea Daucoides.
          - Alba.
            - Major odorata
            - Minor foliis.
              - Hirsutis.
              - Hirsutioribus.
              - Hirsutissimis.
  - Semine Testiculato sive rotundo.
    - Coriandrum.
      - Sylvestre fœtidissimum.
      - Sativum seu majus.
- Impropriè dicta.
  - Valeriana Græca.
    - Alba.
    - Violacea.
    - Canadensis.
  - Valeriana.
    - minor.
      - Annua.
      - Perennis.
    - major.
      - Hortensis.
      - Sylvestris, foliis.
        - Latioribus.
        - Angustioribus.
    - marina.
      - Latifolia.
        - Rubra.
        - Alba.
      - Angustifolia.
        - Rubra.
        - Alba.
    - montana, folio.
      - Aspero.
        - Radice Olivari.
      - Lævi.
        - radice fibrosa.
  - Valerianella.
    - Semine umbilicato.
      - Nudo.
        - Rotundo.
        - Oblongo.
      - Hirsuto.
        - majori.
        - minori.
    - Arvensis.
      - Præcox.
      - Serotina.
        - Humilis, semine compresso.
        - Altior, semine turgidiori.
    - Cornucopioides.
      - Rubra, Indica.
      - Echinata, alba.
    - Scabiosæ semine.
      - Major Lusitanica.
      - Minor tenuifolia.
  - Pimpinella Sanguisorba.
    - minor.
      - Pilosa.
      - Non pilosa.
      - Spinosa semper virens.
    - major, spica
      - Longiori Canadensis.
        - Alba.
        - Rubra.
      - Breviori.
        - Nostras.
        - Canadensis.
        - Agrimonoides.
  - Filipendula.
  - Barba capræ Floribus.
    - Compactis.
    - Oblongis.
  - Thalictrum.
    - siliqua.
      - Triquetra.
      - Striata.
        - majus, foliis.
          - Lævibus muscariis.
            - Floribus purpureis.
            - Floribus luteis.
          - Rugosis trifidis.
        - minus.
          - Dodonæi.
          - Fœtidissimum. C. B. P. & Prod. desc.